



*Ex Libris*

*D. Guil. Gesenii.*

*A. 262.*



1. Norberg, De orthographia linguae Hebraeae
2. ——, Etymologia linguae Hebraeae. I nomine dissertatio
3. ——, " " " De particulis
4. ——, " " " De pronomine dissertatio.
5. ——, " " " De verbo dissertatio.
6. ——, De etymologia linguae Graecae dissertatio. P. III.
7. 8. ——, Otiens lucem protendens Homero.
9. ——, De etymologia linguae Graecae dissertatio. P. II.
10. ——, " " " " " P. I.
11. Kichaelis, De Hebreorum et adfinibus orientis linguis a Graeca derivandis.
12. ?, Discrimen linguarum orientalium et occidentalium.
13. Uri, Prima decas originum Hebracarum genuinarum.
14. Nefib lectione Ibrit. „Deutsch-hebräischer [sic] Lexikong”
15. Trendelenburg, De eo quod nūmīum est circa studium, linguam Hebraicam ex Arabica illustrandi.
16. Kierold, Te decem nominibus quibus apud Hebracos designatur Deus. Meditatio I.
17. Wichmannshausen, De ḥ̄b̄ sive Galilaea.
18. Pfeiffer, De lingua Galilaea.
19. Wichmannshausen, De differentiis vocum Hebraicarum.
20. Michaelis, Philologemata medica ... ex Ebreorum et huic adfinibus orientalibus linguis decorsa.
21. Hartmann, Supplementa ad Buxtorfii Lex. Chald.  
Talmud. et Rabbin.
22. ——, Supplementa ad Gesenii Lexic. Hebr. e Mischna petita.

23. Tychsen, ad praelationes de litteratura Hebraeorum ha-  
bendas ... invitat.
24. Brunn, De eis quod praestandum restat in litteris mi-  
entibus.
25. Epistolam Samaritanam Sichemitarum tertiam ... ed. Brunn.
26. Zeltner, Enneas questionum philologicarum.
27. Sperbach, (Autor respondens Jahn), De voc 57137'.
- 27<sup>a</sup> Jahn, De voc 57137' iterum publice disseret.
28. Prisca narratio Graece Latine et Talmudice superstet.
29. Lichtenstein, Ueber die Verwandtschaft der Arabischen  
mit dem Deutschen.

# COMMENTATIO

DE EO

QVOD NIMIVM EST CIRCA STVDIVM  
LINGVAM HEBRAICAM EX ARABICA  
ILLVSTRANDI

15. m.

QVAM

PRAESENTE

IOHANNE GEORGIO  
TRENDELENBVRG,

GR. ET OO. LL. P. P. O.

A. R. S. MDCCLXXX. AD D. XXVI. M. SEPTEMB,

IN AVDITORIO ATHENAEI GEDANENSIS MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

CAROLVS HEINRICVS ROESNER, S. L. C.

ADVERSVS OPPONENTES

GOTTFRIED ERNST GRODDECK, S. L. C.

JOHANN GOTTFRIED BARENKT, S. L. C.

NATHANAEL BERND EBERHARD, S. L. C.



REGIOMONTI,

TYPIS SAGR. REG. MAIEST. ET VNIVERS. TYPOGR. G. L. HARTVNGII.

CONFESSIO  
W  
DICO MINISTERI STUDIUM  
LINGVAM HEBRAICAM EX ARABICA  
INTERPRETI

GRATIA

PRAEVIDE

CONFESSIO GEOGRAPHO  
TRINIDITENBVRG

GRATIA

CONFESSIO GEOGRAPHO  
TRINIDITENBVRG

CONFESSIO GEOGRAPHO

FLORENTISSIMAE  
REIPUBLICAE GEDANENSIS  
PER MAGNIFICO SENATVI  
PER ILLVSTRI  
S. R. M. BVRGGGRABIO  
PER MAGNIFICIS MAGNIFICIS  
GENEROSIS MAXIMEQUE STRENVIS  
PRAESIDI  
PRO PRAESIDI  
PRAE CONSVLIBVS  
CONSVLIBVS  
PATRIAEC PATRIBVS OPTIMIS  
NEC NON  
PRAENOBILISSIMIS  
AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS  
UTRIVSQUE CIVITATIS  
DICASTERIORVM MEMBRIS  
SENIORIBVS  
CON SENIORIBVS  
ASSESSORIBVSQVE RELIQVIS  
IUSTITIAE MODERATORIBVS AEQVISSIMIS

SVS-



SVMME VENERABILIBVS  
PLVRIMVMQVE REVERENDIS  
MINISTERII I. A. C. MEMBRIS  
SENIORI PASTORIBVS  
ET  
DIACONIS  
FIDELISSIMIS REI SACRAE ADMINISTRATORIBVS  
VIRIS  
SVMME VENERABILI  
CONSULTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMIS DOCTISSIMIS  
COLLEGII PROFESSORII  
MEMBRIS  
PRAENOBILISSIMIS SPECTATISSIMIS  
TVMAD SACELLVM D. MARIAE TVMAD AEDEM D. IOHANNIS  
ANTISTITIBVS  
MAECENATIBVS  
PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS  
MAXIME DEVENERANDIS ATQVE COLENDIS  
DISSERTATIONEM HANC GRATA SUBMISSAQVE MENTE  
IN SVI STVDIORVMQVE SVORVM COMMENDATIO-  
NEM DAT DICAT CONSECRAT  
TANTORVM NOMINVM  
CVLTOR DEVINCTISSIMVS  
CAROLVS HEINRICVS ROESNER.



**S**aeppe mirari soleo, quid sit, quod, quum viri multi, iisque  
praestantissimi, Veteris Testamenti linguam ex Orientis  
Dialectis egregie illustrauerint, tamen hodie adhuc per-  
multi inueniantur, qui omnibus omnino, quae ad Vetus Test. ex  
Orientalibus Dialectis explicandum a summis etiam viris feliciter affe-  
runtur, vti dedignantur, et quidquid hoc eruditionis genus redolet,  
fastidian, probaque Hebraicae Linguae, vt loquuntur, pauperie  
contenti, ceteras Orientis Dialectos non negligant tantum et despi-  
ciant, sed alios etiam a studiis hisce auocandos esse arbitrentur.  
Quanquam vero commune hoc omnium Orientalium Dialectorum  
fatum fuisse videatur, vt variis temporibus in hominum contemptum  
abierint, nulla tamen alia Orientis Dialectus hanc sibi magis con-  
traxit inuidiam, quam Arabica. Vtut autem sit, tamen, qui libros  
Lingua Hebraica conscriptos et intelligere recte et accurate inter-  
pretari velit, eum non modo Hebraicae, sed etiam Linguarum affi-  
nium vicinarumque, praecipue vero Arabicae Linguae scientia

A

multa

450

multa atque idonea praeditum accedere ad lectionem eorum debere, hodie plerique et vident facile et libenter profitentur. In quibusdam tantum viris et quibusdam Europae regionibus tanta esse videtur opinionum vis, vt, quantum fructum ad Vetus Test. bene interpretandum afferat Linguae Arabicae cognitione, non tantum non cernant, sed semper etiam, ne senior doctrina nescio quid periculi inde capiat, subtimecant. Quod quum a viris etiam, cetera non ineruditis fieri intelligerem, illud temere contingere non posse statim iudicauit. Quum igitur in id me darem, vt cognoscerem, quibus tandem rationibus adducti, satius existimarent in explicatione locorum et vocum Veteris Test. difficiliorum ex ipsa Hebraea Lingua petita qualitercumque acquiescere, quam ad Linguae Arabicae diuitias confugere omnibusque, quae ab illa offeruntur, explicandi subsidiis uti, gravissimam caufam eandemque maxime vulgarem hanc esse cognoui, omnia Arabicae Dialetti ope exculpi posse, sensumque, quem quisque velit, modo cum rerum nexus quodammodo cohaereat, sed ab auctoris mente prorsus alienum, inferri, quod multis et idoneis exemplis probari posse affirmant. Huic vero suspicioni permultos, qui Hebraicam Linguam ex Arabicis Dialecticis illustrare adgressi sunt, locum aperuisse, nemo sane insiciari potest. Fatendum potius est, saepenumero Arabicam Linguam ad Veteris Test. illustrationem tam peruersa ratione adhibitam fuisse, atque etiamnuna adhiberi, multosque Linguae Arabicae amore ita captos fuisse, vt praeter hanc linguam nihil fere ad Vetus Test. explicandum in subsidium vocauerint, vt iure queri videantur, qui hanc viam nimis salebrosam et periculosam, quam vt viro in re tanti momenti cauto et circumspectu se probare posit, esse contendunt. Et sane tantus passimiam huius rei inualuit abusus, tam vario modo hac in re peccatum est, tam saepe haec vitia a cultoribus Linguae Arabicae commissa ipsi Linguae Arabicae vitio data sunt, vt operae pretium videatur, vitia, in quae multi, qui Hebraicae Linguae cognitione ex Arabicis operis ferre studuerunt, prolapsi sunt, ex instituto recensere, vt et abusus

❧

abusus rei, si fieri possit, tollatur, et iuvidia, quae huic studio inde conflata est, diluatur. Quod quidem hoc libello pro meo ingenii modulo tentabo. Neque vero quisquam res omnino nouas et antehac inauditas a me expectet. Fuerunt enim Viri ingenio et doctrina praestantes, qui quantum adiumenti ferat Arabicæ Linguae scientia ad hebraicæ linguae cognitionem, et qua ratione recte et sine periculi timore adhiberi possit, et oratione et exemplo docuerunt. Inter quos nostra aetate praecipios, Michaelis, Virum ill. (a) et Celeberr. Schelling (b) nominasse sufficiat. Quanquam vero pro suo vterque consilio rem testigit, et alii passim, quae ad consilium nostrum faciunt, protulerunt, tamen non male meam videbor operam collocasse, si varia vitiorum genera, quibus plerumque peccari solet, quantum id quidem res ipsa patitur, uno quasi obtutu conspicienda praebeam, singularisque vitiis idonea exempla subiungam. Quum igitur omne emolumenntum, quod in Veteris Test. libris interpretandis ex Lingua Arabicæ exspectari potest, eo contineatur, vt altera dialectus cum altera conferatur, triplici potissimum ratione videntur peccare, qui nimirum sunt in studio Linguam Hebreæm ex Arabicæ illustrandi; pri-  
mum, vt ipsa conferendi ratio peruersa sit et vitiola; deinde, vt, etiam si quoad elementa bene instituatur collatio, tamen plus vocibus hebraicis, quam iis inest, ex Arabicæ Dialecto tribuatur; denique vt haec Dialectus sola conferatur, et nullum fere auxilium ex ceteris Vetus Test. explicandi subsidiis petatur. De quibus singulis agem iam videamus.

- a) In libro quem inscripsit: Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene hebräische Sprache zu verstehen.
- b) In libello, cui est titulus: Abhandlung von dem Gebrauch der Arabischen Sprache, zu einer gründlicheren Einsicht in die Hebräisch.

S E C T I O I.

*Abutuntur Lingua Arabica, qui in vocibus Hebraeis cum Arabicis conferendis ne quoad literas quidem et elementa recte versantur.*

§. II.

**O**mnia cuiusuis linguae dialectorum eam esse rationem, ut quanquam vaquaque proprium quid et peculiare sibi vindicet, in plerisque tamen cum ceteris dialectis et communi omnium lingua conueniat, norunt omnes, qui de linguarum in varijs terris necessitudine et diuersitate vel paullulum cogitarunt. Hujus diuersitatis praecipua fere causa in literarum, tam vocalium quam consonantium, permutatione frequenti continetur. Quamvis autem omnium eiusmodi permutationum origo ab ipsa plebe sit repetenda, tamen vehementer errarent, qui temere et imprudenter, vt a plebe plerumque fit, eas omnes contigisse existimarent. Analogiam potius quandam et similitudinem in literis immutandis constanter servant, a qua nonnisi raro recedunt, quemadmodum ipsis linguae flexionibus et formis integrisque loquutionibus, quamquam a plebe fictis et receptis, mirificam quandam inesse cernimus conuenientiam. Sic apud Graecos Doricam Dialectum loco  $\eta$  *vbiique fere*  $\alpha$  *ponere;* Atticos pro  $\sigma\sigma$  perpetua consuetudine usurpare  $\tau\tau$ , vt  $\pi\varrho\alpha\tau\tau\omega$  e. g. dicant pro  $\pi\varrho\alpha\sigma\sigma\omega$ , res est notissima. Eodem modo maxima propemodum Syriacae Linguae et Chaldaicae diuersitas in eo posita est, vt, vbi in hac vocalis A, in illa O in vsu sit. Varias igitur immutationes literarum, quae in diuersis dialectis receptae sunt et fancitae, probe tenere eum debere, qui alteram dialectum ope alterius illustrare cupit, res ipsa docet. Quorsum vero haec omnia? Nempe vt ex vniuersa omnium dialectorum ratione intelligamus, quae ratio

CITRUS

ratio in illustranda Hebraeorum lingua ex Arabico sermone sit adhibenda. Quamuis enim res per se plana sit et perspicua, tamen per multi fuerunt, qui leges, quas sibi in permutandis literis hae dialecti quasi scripserunt, aut ignorarunt, aut dum illustrant Vetus Test. ex arabico sermone certe videantur ignorasse. In graues igitur errores necessario hos incidere debuisse, facile intelligitur. Neque sane putandum est, hoc imperitorum quorundam vitium esse. Saepe enim experientissimi hac in re hallucinantur, neque ipse Schultensius ab hac culpa omnino est liberandus. Potissimum vero hoc in quibusdam literis vsu venire solet, quum ﴿ Arabum conferunt cum ﴾ Hebraeorum; cum ﴾ quodcumque ﴾, etiam si positum sit pro ﴾ et ﴾ finali, vbi Hebraei ﴾ quiescens adhibere solent; ﴾ cum ﴾, quae literae non nisi rarissime inter se permutantur. Quodsi fit, necesse est, vt hebraicae voci significationes longe a vero aberrantes tribuantur. Hac ratione errasse videtur Rutgerus Schutte (c), dum vocem שָׁמָּה Num. XXIV. 15. cum arabico شَمَّ confert. Bileamus in hoc vaticinii initio in eo versatur, vt vatem diuinum se praedicet, seque nominet שָׁמָּה בְּגַר שְׁתִּים הַעֲזֵב. Iam שָׁמָּה collato Arabum شَمَّ significare dicitur: contumeliam dixit, contumelia affecit, item laetus fuit inimici malis; vt igitur sit שָׁמָּה contumeliosus oculo, inuidus oculo; et insuper in subsidium vocatur greeca phrasis ὄφθαλμος πονηρός. Putat autem huius Commentationis Auctor, Bileamum hoc loco animum suum malevolentissimum et a Dei populo prorsus alienum aperire; quod a consilio Bileami certe valde abhorret. Qui enim cogitari potest, Bileamum vaticinantem et furore propheticō abreptum vitia et res ignominiosas de se ipso praedicare velle? Ast reponit Auctor, Bileamum spiritus diuini inflatu haec profari fuisse coactum, quemadmodum ex v. 13. apparere videtur. Speciosa haec primo intuitu esse non nego; at vereor, vt cuidam locum omnem legenti et accurate consideranti haec ratio se probare possit. Nam in

A 3

omni

c) In Commentatione ad Vaticinium Bileami Num. XXIV. 14—19; quae extat in Bibliotheca Hagana. T. I. p. 48.

¶

omni vaticinii praefatimine nihil prorsus reperitur, quod ignominiae esse Bileamo possit, sed prophetarum more vatem se praedicat, futura Dei ipsius inflatu praesagientem, quemadmodum Davides & Sam. XXIII, 1. etc. quae loca mirum in modum inter se conueniunt. Praeterea vix puto, v. 13. eam esse Bileami mentem, ut dicat, se necessario et a Deo coactum profari debere, sed tantum, se tanquam Prophetam non alia dicere et referre posse, quam quae Deus ipsum insisset, neque quidquam profuturum, si alia proferret, quippe quum rerum eventus a Deo pendeat, neque sibi licere a Dei mandatis illo modo recedere. Itaque haec explicatio, puto quae et sensum ineptum reddit, et membrorum parallelismo parum conueniens est, et consilio totius sermonis contraria videtur, non adeo multis se prohibbit. Alii alia non minus vitiosa ad hanc vocem illustrandam afferunt, e. g.  $\text{كـلـمـة}$  claudere, obstruere, quod itidem nec permutatum vsui conuenit, nec sensum satis aptum reddit. Arabum  $\text{كـ}$  et  $\text{كـ}$  quanquam interdum, non facile tamen neque frequenter, cum  $\text{نـ}$  Hebraeorum permuntantur. Quamuis enim haec rario literarum  $\text{كـ}$  et  $\text{كـ}$  cum  $\text{نـ}$  permutatio ad firmados significatus alias iam notos facere possit, tamen ad significations nondum notas constituendas minime videtur adhibenda esse. Aliam viam ingressus est Boysen (d)

Vir S. R., qui confert arabicum  $\text{تـمـمـة}$  Metathesi literarum in subsidium vocata, quae quanta cautione adhibenda et quam parum voces ignotas illustrare putanda sit, deinceps monstrabimus. Contendit autem hanc vocem idem valere, quod Graccis  $\text{اـلـفـيـعـ}$ . Cuius quidem rei neque ipse exempla adferit, neque equidem ita usurpari memini. Mirandum sane est, omnes hos a recta via declinantes, multo labore verum huius loci sensum quaestuisse, quem nullo negotio rectum tranitem sequentes reperire poterant. Motis scilicet est apud Arabes, vt loco Hebraeorum  $\text{هـ}$  substituant  $\text{وـ}$ , adeo-

(d) Beyträge zu einem richtigern System der hebräischen Philologie, 2 und 3ter Theil, p. 533.

adeoque loco nostro radix شرم consulenda erat, quae ipsi optatissimam lucem affundit. Significat enim شرم verus, dignus, nobilis fuit, ut igitur sensus sit, verax oculis, qui, ut sunt, omnia video et futura veracissime annunciat. Qui sensus optime conuenit omni loco et a veteribus versionibus plerisque firmatur. Reddunt enim Alexandrini verba nostra ὁ αὐτὸς ὁ ἀληθινὸς οἶκος; Chald. נָבָרָא רְשַׁבֵּר חֹזֶק vir pulchre videns. Arabs Polygl. Lond. الرَّجُول الْمُغْتَوِح الْمُبَصِّر الْمُبَصِّر apertus oculo; Syrus στόμα διεπάτε. Omnes igitur simile quid aut fere idem esse voluerunt, ut idem certe esse videatur cum eo, quod sequenti commate est גָּלוּי עֲנוּנִים, atque Syrus adeo eandem vocem ad גָּלוּי שָׁתָם exprimentem adhibet, nempe גָּלוּה. Sola Vulgata habet obturatus. Mirum sane est sed gratum simul, explicationibus secundum iustas regulas institutis, ita fauere Veterum Versiones. Raro enim voces hebraeae ex ceteris Dialectis recta methodo illustrantur, quae non habeant versiones veteres sive plerasque sive nonnullas testes quasi et sponsores veritatis. Alius in hoc genere error vulgaris sed grauis est, si Arabum خ et ئ cum Hebraeorum ه quocunque, sive Mappikato sive quiescente, promiscue conferunt, quem tamen ex usu perpetuo ه tantum respondeat Arabum ئ، ه quiescens vero semper debeat cum Verbis tertiae rad. ئ sive ئ confiri, per ه autem Arabum خ et خ exprimatur. Error iste exinde fortasse originem traxit, quod a Grammaticis plerumque monetur, triplex Arabum esse H, nempe ئ، خ et ئ، ه sed quam rationem ad Hebraicam Linguam habeat, non docetur. Leues quanquam haeres nonnullis videri possunt, tamen magni momenti habentur ab uno quoque, qui errauisse non leue quiddam atque exiguum arbitratur, atque omnia ista, quamvis leuia, rite teneat necesse est, qui Hebraeae Linguae cum arabica collationi operam dat, ne in errores incidat

dat grauissimos. Neque vero sum nescius, haec omnia nota esse  
tum iis, quibus diuturno usu leges, quae a linguis hisce seruantur,  
innotuerunt, tum qui bona vii institutione grammatica faciliori sane  
negotio rem omnem arripuerunt. Quae quanquam ita sint, tamen  
haec monuisse non superuacuum videtur, quum quotidie hac in re  
peccetur. Exemplum sit Iob. III, 8. **אָרְרֵי יְמִים**; ubi Reiske  
(e) vocem **יקבָּחוּ** a rad. **קְבַּח** concipit dicitque positam esse pro  
**יקבָּחוֹר** et **יקבָּחוֹרִיְקְבוֹחוֹת**. Quia ratione et quo iure pro  
variis hisce vocibus positum esse perhibeat, nihil iam ad nos perti-  
net dijudicare. Radicem huius verbi autem, quam sibi sumvit,  
**קְבַּח** conferri debere putat cum Ar. قبْح *foedus fuit*; unde so-  
lemnis Arabum imprecatio **اللهُ تُرَكَ** turpem te reputet, et  
ut tales reuersetur Deus. Verum si قبْح illustrare locum no-  
strum debebat, vox non a rad. **קְבַּח** sed **קְבַּחַת** concipienda erat,  
quod sane non poterat extorqueri. Quum igitur Arabes nunquam  
ponant **קְבַּח** pro **תְּ** quiescenti Hebraeorum, hanc illustrationem nullam  
esse, facile appareat. Neque sane opus erat ad remedium tam peri-  
culosum configere, quum radici **קְבַּח** siue etiam **נְקַבְּ** abominandi  
notionem subiectam esse ex ipso Hebraico, coll. Num. XXIII, 8. 15.  
satis notum sit. Iam ut appareat, quam vaga et incerta omnis Ve-  
tus Test. ex Arabismo explicandi ratio sit, nisi firmis nitatur funda-  
mentis, seruando nempe leges, quibus omnis dialectorum varietas  
constituitur, videamus, quaequo, quomodo idem eandem vocem  
explicit Iob. V, 3. **אֲקִיבָּ** قبْح (conferendum esse, sed قاب *media crepuit et dissiluit* (f).

## §. III.

e) Reiske Conjecturae in Jobum p. 5.

f) Nolit quisquam putare, nos nimis acerem exercere censuram in Vi-  
rum, quem omnes in hoc literarum genere in Germania facile prin-  
cipem esse cognouerunt. Exempla ad rem nostram facienti eo li-  
bentius ex hocce libro collegi, quo maior inter nostros eruditioinis  
eius est opinio, non quod meritis tanti Viri quidquam detractum  
cupo-

## §. III.

Has igitur literarum in variis dialectis permutationes, quae ordinarie accidunt, ante omnia nosse Verteris Test. Interpretem debere, nisi multum et grauiter errare velit, ex iis, quae dicta sunt, luculenter apparere arbitror. In eo enim maxima dialectorum certitudin diuersitas, quod, quae in alia dialecto aliter et molle appellantur,

B tur,

cupiam, sed quod exempla a Viro perito et exercitato maiorem vim habere videbantur, quam exempla yndique collecta. Quare ex his Animaduersionibus Reiskianis in Iobum, quas coniecturas nominare voluit, quae tam varia et plane diuersa inter nostros iudicia expertae sunt, plura defumere exempla nobis licebit. Alii enim, qui omnia noua et a patribus non tradita horrent, librum non tantum nullius virilitatis sed etiam perniciosum esse iudicarunt; alii contra, qui ad omnia a multae eruditio[n]is et magni ingenii Viro profecta frumenta neque sub rationis iudicium ferre audent, ad coelum vsque suffulerunt. Quisquis autem ab omni partium Studio alienus foli veritati litat, permulta egregia et tanti nominis Viro dignissima libro inesse profitebitur. Fieri enim non potest, quin Auctoris in rebus criticis acumen unumquemque in admirationem rapiat. Tam sagaciter enim odoratur loca, vbi aliquid vitiis subesse possit, atque tam probabiles plerumque non absque rationibus emendationes proponit, vt Virum in Graecis Scriptoribus versatum et exercitatum et arabice doctum facile agnoscas. Neque quae ad illustrandum egregium huncce librum adfert, non ad singulas tantum voces pertinent, sed integras saepe loquutiones et sententiae, sive iisdem sive certe similibus arabicis conferuntur, vt a Viro cum Arabicis Poetis aliquisque Auctoriibus tam familiari expectari poterat. Neque tamen negari potest, eum non inquam ingenio nimium induluisse et nimis audaces esse multas Conjecturas in locis, vbi vel nulla opus erat vel faciliori ratione omni loco remedium parari poterat. Quod vero in libro maxime desiderandum videtur, est iusta hebraicas voces cum arabicis conferendi ratio, atque tam saepe hac in re peccatum est, vt non exiguum libri partem his vitiis obrutam esse affirmare audeam, e quibus nonnulla deinceps indicabimus. Mirum videbitur nonnullis, accusari Virum, arabice doctissimum, quod in re non valde difficulti tam saepe errauerit. Verum hac in re non sola sufficit Arabicae Linguae scientia, sed qui V. Test. ex Arabismo explicare adgreditur, is multas iam hebraeas voces cum arabicis contulerit, et quae literae hebrei sermonis respondeant potissimum arabicis diuturno v[er]o didicerit, necesse est. Quae quidem in Reisko non sussisse videtur exercitatio.



tur, in alia aliter et duriori sono. A multis igitur sibi cauebit vi-  
tiis, qui tenet e. g. Hebraeorum **ו** cum Arabum **س** et **س** solennem  
et ordinariam esse permutationem, vt ab altera parte **ו** cum **س**; **س**  
**س** respondere Arabum **س** et **س**; **س** mappikatum aut mobile **س** Arabum,  
et quae sunt eiusmodi alia. Literarum enim affinitas et necessitudo  
non ex auditu sed ex vsu diiudicanda est. Diffitendum autem non  
est, Dialectos, et si analogiam quandam plerumque seruant, a le-  
gibus tamen quasi sanctis et a consuetudine interdum recedere. Sic  
Viri eruditи contingere nonnunquam dudum obseruarunt, vt literae  
eiusdem organi inter se permutentur, atque adeo aliae etiam, vt **ו**  
cum Syrorum **א** non raro, sed etiam interdum cum **ג** Arabum.  
Eiusmodi permutationes etiam rariores tenere, multum sane con-  
fert, vt de significatione vocum alias notarum certiores fiamus. Eae  
autem vere vsu venire, in Clave Dialectorum, magnae eruditionis et  
multi laboris opere, alphabetico ordine probauit *Albertus Schultensius*.  
Iam vero has permutationes literarum rariores, quas vere vsu venire,  
tum hebr. et arabicae radicis cum deriuatis suis convenientia, tum  
defectus radicis arab. quoad elementa hebraeae voci prorsus respon-  
dentis, tum etiam consensus veterum Versionum, satis superque  
probat, omnes etiam ad ignotas Vocum Hebr. significationes inue-  
niendas, adhiberi non inepte posse putarunt, quo, dici vix potest,  
quam variis, arbitrariis et ineptis illustrationibus ex Arabismo petitis,  
Inicem affundere Hebraeorum linguae permulti tentauerint. Magna  
sane exemplorum est copia, vbi permutationes literarum maxime ar-  
bitrarias adhibitas esse videbis, quarum auctor satis rationis se reddi-  
disse putat, si addiderit; *literae eiusdem organi facile inter se per-  
mutantur*. Sed parum accurate agunt, qui hunc Canonem ex Gram-  
maticis hoc transferunt. Nam ista literarum eiusdem organi permu-  
tatio minime tam frequens est, vt vulgo putant. Plerumque enim  
eaedem literae hebraeae cum iisdem arabicis conferendae sunt, in-  
terdum duntaxat alias substituunt. Neque vero omnes eiusdem or-  
ganii

gani literae cum omnibus permutantur, sed quaedam duntaxat cum  
 quibusdam. Sic ex gutturalibus **ו** cum **ה** et **נ** permutari non  
 facile quisquam vel unicum exemplum idoneum adduxerit. Simili-  
 ter **ת** cum **ה** et **נ** cum **ו**, quamvis auribus nostris non valde diuersi  
 soni esse videantur, non nisi rarissime permutantur. Atque eiusmodi  
 permutationes, quae sine raro siue nunquam fere vsu veniunt, ad  
 illustrandas hebr. radices siue vlla dubitatione adhibere, vbi contex-  
 tus quodammodo pati videbatur, non veriti sunt permulti Veteris  
 Test. Interpretes. Cuius quidem rei tanta sepe nobis offert exemplo-  
 rum copia, vt optio sit difficultas, et vt vereamur, ne in afferendis  
 exemplis ipsi nimii esse videamur. Primum exemplum iterum ex  
 Coniecturis Reiskii in Iobum desumamus. Ad celebrem locum Iob.  
**XIX, 25.** **וְאַתָּ וְעַתָּ גָּלֵל רֹא** explicandum, viam sequitur ab ea,  
 quam alii Interpretes iugressi sunt, longe diuersam. Vocem **גָּלֵל**  
 scilicet confert cum Arab. **جَالِي** *fouea mea*. Quae verba quamvis  
 primo intuitu eadem esse videantur, tamen, si accuratius examinen-  
 tur, multam a se differunt. Vox **جَالِي** enim non est a rad. **גָּלֵل**  
 sed **جَوْل** (**جَرْل**) deriuanda. Eandem vero radicem, hoc loco per-  
 permanet admissam, adhibet rectius ad III, 22. vocem **בִּזְבָּחָן** illustran-  
 dam. Nostram autem radicem **גָּלֵל** III, 5. iterum cum Arabum  
**غَوْل**, quod proprie Hebraeis **עֲלֵיל** esset proferendum, conferre non  
 dubitat. Quae quidem in conferendo inconstantia, nisi ipsa confe-  
 rendi ratio per se iam reiicienda sit, vt unicuique suspicionem mo-  
 veat necesse est. Atque in hac quidem peruersa conferendi ratione  
 eo usque progrediuntur, vt voces arabicas ad hebraicas illustrandas,  
 ita dissimiles, vt ne una quidem litera cum altera conueniat, in sub-  
 sidium vocare non vereantur. Sic verba **שְׁבָב** cum arabico **أَسْفَف**  
 (**حَتَّف**) **קְטָב** (**أَكْتَب**) contulerint, in quibus  
 ne una quidem litera sibi constat, et quae faciliori ratione ex Ara-  
 bismo illustrari posse norunt omnes, qui conferre hebraicas dictiones  
 cum ceteris dialectis consueuerunt. Similiter Reiske Iob, X, 1. **טְבָב**  
 cum



confert cum بغض (בָּעֵד). Quod si displiceat, aliam proponit vocem بقط magis illam quidem cum Hebr. conuenientem, non magis tamen veram. Nam ب et ב nunquam certe inter se conueniunt; atque non magis ب et ג. Nam quod Auctor v. 4., ubi **חַוְפָעַת** a فغض sine وقف non meliori ratione deriuat, addit, ي et ب saepe alternare, vereor, ut idoneis exemplis comprobari possit. Quae ratio si saepe, ut sit, adhibetur, nihil inde lucrari solidiorem Linguae Hebr. scientiam et inutilem prorsus esse laborem, etiam me nihil monente perspicet unusquisque.

Verum negari non potest, eiusmodi explications, in quibus literae cum arabicis interdum tantum ipsis respondentibus conferuntur, ferri nonnunquam quodammodo posse. Verum tum ipsa vox arabica vacuam deriuatis ita hebraeae respondeat necesse est, sive Veterum Versiones ita consentiant cum explicatione, ut nos a recta via aberrasse non verisimile sit, aut ipsa vox hebr. obscura sit oportet, neque melior inuenta explicatio, ut auctor saltet mereri videatur excusationem, donec alia vero proprietate reperiatur. Magna autem vel tum cautione opus esse, atque probandum esse, in ea voce, quam sibi illustrandam sumunt, hanc literarum permutacionem probabiliter contigisse, facile apparent. At qui sine ullo discrimine villaque cautione, ubicunque in mentem venerit, adhibere se hanc rationem posse putant, non secus mihi agere videntur, ac si propterea quod attice dicitur μόγις pro μόλις, contendenter pro βάλλω attice dici quoque posse βάγγω.

#### §. IV.

Aliud vitiorum genus, in quod prolapsi sunt Veteris Test. Interpretes, dum subuenire Hebraeae Linguae Arabica Dialecto studuerunt, illud putandum est, quod literarum transpositione nimis frequenti veras vocum significations satis apte erint posse existimauerint. Quanquam enim eiusmodi mutationes nonnunquam usu venire in

vno-

vnoquoque sermone nemo negabit, neque in hisce dialectis contigit mirabitur, quippe quum bona pars harum mutationum constitutat dialectorum varietatem, tamen earum ope ignotarum vocum quaerere significaciones et temerarium et periculosum videtur. Nam eiusmodi transpositiones eti si interdum contingent et satis firmae sint, tamen non ita solemnes sunt, neque ita durae, ut omnes, qui nimium huic rei tribuunt, arbitrari videntur. Leues plerumque sunt transpositiones, et vnius alteriusue literulae metathesi solent absoluiri. Quamobrem taxandi videntur merito, qui voces dissimillimas, modo iisdem literis, quamvis maxime diuerso ordine, constent, conserendas esse duxerunt, quemadmodum **תְּרוֹזֶשׁ** ex arab. **أَلْعَسْ** illustrare non dubitarunt. Deinde vero etiam peccare videntur, qui pro arbitrio et vbi cunque lubet, sineulla ratione eiusmodi transpositiones ad ignotae cuiusdam vocis sensum inueniendum adhibent. Quodsi tam hebraica vox quam radix arabica, quae leui metathesi in subsidium vocatur, satis nota, et ambae ita inter se conueniunt, vt easdem voces esse satis appareat, aliquid lucis ex earum comparatione peti posse, nullus negauerit. Sed hanc metathesin reprehendo ignotarum dictionum significatiui inservire perperam putatur. Nam quum literarum transpositiones neque certa quadam ratione, neque non nisi raro contingent, necesse est ut sexcenties potius erret, quam vnam radicem vere illustret, qui saepe et pro arbitrio, sine ullo discrimine literarum ordinem immutatum esse arbitratur. Fuit olim hoc vitiorum genus tam frequens, et tanta exemplorum copia vnicuique vltro sese obliuiciet, vt vix iuuet, huius rei exempla addere. Confitendum etiam est, ab hoc vicio nostra aetate magis, quam ante*iac.*, sibi cauere Veteris Test. Interpretes.

Iam quum reprehendendi videantur, tum ii, qui literas literis minus respondentibus inter se conferunt, tum qui literas nimium transponendo hebr. voces illustrare aggrediuntur, facile apparebit, quid de iis statuendum sit, qui in vtroque simul peccant. Neque tamen defuerunt, qui adhibita metathesi ne tum quidem literas inter se

conuenientes contulerunt. Quam rationem si quis ad inuestigandas vocum significaciones inire sibi licere existimet, quanta arbitraris explicationibus fenestra aperta sit, quam inutilis sit ille labor, et quantopere a recta via hebraicam linguam illustrandi recedat, facile vnicuique patebit.

## SECTIO II.

*Nimii sunt in studio Linguam Hebraicam ex Arabica illustrandi, qui, quamvis vocum collationem quoad elementa bene instituant, tamen vocibus hebraeis plus quam iis inest, ex Arabica Dialecto tribuunt.*

### §. V.

Iam ad aliud vitiorum genus lustrandum nos conuertimus, a quo multi, qui a vitiis modo enarratis sibi cauere studuerunt, non immunes fuere. Vario enim modo siue conferendo siue deriuando vocibus et locutionibus integris arabicas significaciones obtrudere conati sunt, et vbiunque fieri poterat, emphases, nescio quas ex Arabismo eruere studuerunt. Quae omnia quanto sint detimento solidae Hebraeae Linguae cognitioni, et quantopere fugienda sint et vitanda a sobrio quoque Veteris Test. Interpretate paucis iam videamus.

Et primum quidem eos reprehensione dignos esse qui praeter omnem necessitatem hebraico verbo ex Arabismo addunt significaciones, quas Hebraica Lingua alias ignorat, et vbi consueta hebraeae vocis significatio sufficit, quique adeo omnes vocis quam conferunt arabicae significaciones tribuere verbo hebr. conantur, dubitari vix potest, quippe quem omnes significaciones arabicas easdem etiam hebraicas olim fuisse non sit iudicandum. Quod quidem ex eorum fuisse videtur sententia, qui sine urgente necessitate ad Linguam Arabicam aut ad aliam cognoscunt.

cognatam confugiendum esse negarunt. Nam ea lex, omnino non consulendam esse Arabicam Dialectum, nisi suadeat rei necessitas aut iubeat, nimis angustis videtur finibus usum Linguarum hebraico sermoni affinium circumscribere, quum maximam earundem utilitatem eo contineri existimem, non ut ignorantum vocum significaciones eruamus, sed ut de Verborum iam notorum potestate siamus certiores. Sed propterea non putamus omnibus esse concedendum, ut singulorum verborum conuenientiam, quae vnicuique vel paululum arabice docto sese offert, publice cum aliis communicet, nisi id forsan singulare auctoris consilium desideret, v. c. ut miram Arabicæ Linguae cum Hebraica conuenientiam ostendat. Ad eam potius rem utilis est haec scientia, ut rerum rationes sciamus, non ut leuibus eiusmodi obseruationibus Commentarios nostros repleamus. Neque vero, ut nouum quid et inauditum proferamus, omnia ex Arabismo in Hebraicum Sermonem transferenda sunt. Magna potius cautione opus est, si qua Arabicæ Sermoni et Hebraico communia fuisse affirmare velimus. Nam in eo saepe Dialectorum cernitur diuersitas, ut in alia Dialecto aliam sibi vindicet significationem. Quod quidem ex Graeca Lingua, siue adeo ex vernacula, quae variis regionibus in verbis nonnullis propriam sibi mancipat significationem, cuique satis superque notum est. Quodsi igitur ex arabica quadam voce ad verbum hebraicum illustrandum eligitur significatio, eam hebraico verbo competere probandum est. Ad hanc vero rem efficiendam non sufficere, ut significatio delecta locorum quorundam nexui conueniat, per se iam patet. Mera enim possibilitate res non absolvitur. Videtur potius, si consuetae verbi hebrei significationes in Sacro Codice satis aptum sensum reddant, in iisdem esse acquiescendum. Atque tum demum significatio antehac incognita ex Arabismo voci hebraeae restituenda videtur, si plures, aut certe unus Sacri Codicis locus hanc vocis potestatem necessarie quasi requirit. Non parum autem roboris et certitudinis assertum nostrum habebit, si viuus seu plurimum Veteris Test. Versionum testimonio

vno

vno vel altero loco firmetur. Quod non raro vslu venire, quisque experietur. Saepe enim Veterum Versiones significationes non vulgo cognitas nobis feruasse, notum est, dum parum conuenienter saepe locum vertendum reddiderint, sed eo ipso probauerint, voci, quam vertunt, si non hoc loco, certe alias significationem, quam ei tribuunt, competere. Non minus autem eorum error est repudiandus, qui duas sine plures adeo arabicae vocis significationes coniungunt, vnde mirificas saepe eruunt emphases et interpretationes. Hac ratione peccare videtur Ioh. Wilb. Schroeder (g) dum Ps. 10, 3. בַּצְעַ בָּרֶךְ נָאֵץ יְהוָה vertit lucrum corradens valere iubet, feroci nisi defugit Iehouam; et verbo ﴿،﴾ quod propriè spernere, repudiare significat, emphasis mirificam addit ex Arabismo. Collatis enim verbis ﴿،﴾ et نَاسِنَاصِ, quae de fulgure etiam usurpantur, colligit, nativam vocis indolem, vt loquitur, in micando et motu vibrante esse positam. Iam vero aliud exemplum addamus, quo patet, quibus ambagibus incendant, qui vocum Hebraearum cum arabicis collationi nimium tribuunt. Quod quidem praebet Ioh. Christoph Büsing (h) in illustranda voce נְכֹחַ. Confert enim cum arabico ﴿،﴾ Schultensium et Schroederum in eo duces sequutus. Quoniam vox autem arabica rubiginem inflamatam cendentis ferri indicat, inde ad zelum, flagrantem illum animi affectum transferri arbitratur. Exinde demum dedit, verbum significare: aliquid studio inflammatu acquirere, et acquisitum, vt peculium priuum, carum et pretiosum, omni modo custodiendum, nec unquam alienandum possidere. Denique vocem transfigi putat ad illam acquisitionem et possessionem, quae Patris vel Matri est, qui per generationem et partum carissima sibi pignora sua faciunt et ut sua sibi vindicant. Quis est, cui non multa ista opera, et nimium explicandi studium ipsum

(g) In Commentario Philologico in Psalmum X. Groeningae 1754 p. 66. sqq.

(h) In Dissertatione ad Prov. VIII. comm. 22—25., quae exstat in Bibliotheca Hagana T. III. p. 488.

ipsum, atque hae ambages, suspicionem moueant, etiamsi melior ratio non sit in promptu? Quis est, qui sibi persuadere possit, a notione *rubiginis inflammata*, qualis est *candentis ferri*, apte deri-vari posse notionem *gignendi* et pariendi? Quae quidem postrema notio tam clare in Sacro Codice reperitur, ut ipse auctor non possit eam non agnoscere. Sic Gen. IV, 1. Eua de Caino. dixit בָּנָרִית אֲשֶׁר peperi filium, non, *acquisui filium*. Sic Deut. XXXIII, 6. חַלְוָא־חַוָּא אָבָּא קָרָן Nonne ille pater tuus est, qui te genuit? Sed hac simplici *gignendi* notione non contentus est, qui tanta opera vim vocis eruere studuit; sed proprie significare putat; Nonne est pater tuus, qui te *acquisuit*, seu *acquisitum possidet*, scilicet per generationem. At vero quid tanta opera explicare vocem hanc ex Arabismo opus erat, a quo tamen hac ratione nihil certe lucis lucrat? Meliori fortasse iure ipsum Arabicum ex Hebraeo sermone poterat illustrari, modo non conferendum erat arabicum فَنَاء (فـنـاء) sed قَنْيٰ quod nostro קָנָה respondet. Huius autem vocis significatio consueta est, vt apud Hebraeos, *acquirere aliquid*. Iam vero hebreae etiam voci procreandi notionem subiectam esse, loca laudata fatis offendunt, atque Alexandrini perpetuo vnu vertunt per γεννᾶν et κτιζεῖν, et Chald. per בָּרַת, etiam vbi haec vocis significatio minus apta est, vt appareat, solemnem eandem apud Hebraeos fuisse. Hanc Arabibus ignotam significationem primariam vocis fuisse vix dubito, quum primaria verborum potestas ab iis possimum rebus petatur, quae sensus maxime feriunt. Itaque fortasse melius significationum genealogia ita singi potest, vt קָנָה sonuerit 1) *gignere, procreare*, 2) *acquirere, comparare sibi*, a quo etiam orta est *emendi significatio*, 3) *possidere*. Errare igitur omnino videntur, qui omnes fere vocis significationes coniungunt, et primam in primis significationem urgunt, vt inde singularem quandam verborum vim eliciant. Quamvis enim utrilibet sit, primam verborum potestatem indagare et nosse, quoniam usum omnem et rerum originem non ignorare eruditus est, tamen hanc primam vocis



significationem, eum ceteris semper coniungere neque necesse neque fas est. Quis enim est, qui nesciat, in quibusdam verbis omnium linguarum, significationem primam, quae est propria, in usu loquendi obliteratedam esse et propemodum ignorari, in eiusque locum successisse significationem tropicam. Aucta enim rerum copia, quae in hominum sermonem cadebant, necesse erat, ut vel noua verba nouis rebus exprimendis apta excoxitarentur, vel vetera verba cum pluribus rebus cothemicarentur. Horum igitur verborum prima sine propria significatio obsoleuit saepe numero, et desit fere usurpari, aut si propria usitata sit, tamen tropica ita usu trita est, ut posterior significatio, et si natura sua sit tropica, fere propria dici possit. In aliis igitur linguis si quis nimis vrgeret primum vocis sensum, et in ceteros etiam inferendum esse censeret, certe omnibus ludibrium deberet. Quis enim, ut exemplo vtar, dum verbum latinum refutare usurpat, quidquam aliud cogitat, quam reprimere aliquid aut refellere, quoniam tamen propria et prima huius vocis significatio sit, aquam feruentem et vi ignis ebullientem aqua frigida coercere ut confidat, et hoc verbum originem habeat a vase quodam, quod futum dicebatur, cuius ope reprimebatur insula aqua frigida, aqua igne feruens et ebulliens, ut consideret. Namquam igitur iuvat, non ignorare vocis originem, tamen ab hac significatione, quae in usu loquendi periit, nemo certe voci refutare vim quandam singulariem tribuet, atque splendorem nativum in eo positum esse affirabit, ut sit, reprimere aliquem aut coercere, quemadmodum futo coeretur aqua ebulliens. Sed num aliter agunt, qui in hebraeis vocibus anxie quaerunt ex Arabismo primam significationem, atque vagam illam saepe et incertam cum notis et usitatis verborum significationibus coniungunt? Num aliter agunt, qui e. g. סופּ ventus rasor et שׁער שׁ ventus vstor (i)? quod verbis סוףּ et שׁער adhaereat potestas radendi arendi, et arabice גָּזַע ignis flamma et ardor sonet? Quod, si in alia quadam, certe in Hebraica et ia-

cete.

(i) Vid. Biblioteca Hagana T. I. p. 278.

ceteris Orientalibus Linguis est reprehendendum. Nam quum inge-  
nia orientalia calidiora sint et viuidiora occidentalibus, et ad rerum  
similitudines comparandas et conjungendas natura sua ferantur, fit,  
ut populi orientales in tropis adhibendis frequenteres sint et audacio-  
res. Quare fortasse illud magis studendum erat, ut pateret, quae  
potestas vocibus translati subiecta esset, quam studiose in iis quaer-  
ere emphases et ex ipsis eruere, quae apud Hebraeos nullae prolsus  
erant. Quodsi igitur hoc vitium taxandum omnino est, quanta,  
quae, reprehensione digni erunt, qui arabicam vocem ita torquent,  
ut deinceps significatio multis tricis extorta prodeat, quae hebraico  
verbo tributa sensum aptum reddere videatur; aut qui voci arabicae  
tribuunt sensum, cui nulla feret notio distincta subiecta est, cui tum  
maricas superfluirunt interpretationes, ita, ut si recte rem exami-  
nare velis, neque arabicae voci, neque hebraeae, notio, quae ipsis  
tribuitur, conueniat. Taedet iam exempla in hanc rem studiose  
congerere, quum uniuersique, qui vel paululum Commentarios eo-  
rum, qui arabica tanta opera ad illustrandum hebraicum sermonem  
adhibuerunt, inspexerit, obvia permulta esse debeant; atque nemo,  
qui non ostentationis causa, sed ut vera videat, arabica consultit, et  
aliquid solertiae tantum et ingenii adfert, non facile sibi ab hoc vi-  
tio cauere possit.

#### §. VI.

Verum maior dudum iam inuuluit abusus, quo non conferun-  
tur quidem arabicae voces cum hebraeis, sed hebraicorum duntaxat  
verborum praeter omnem necessitatem quaeritur deriuatio, eaque  
valde dura et arbitaria. Quo Hebr. Linguae notitia non tantum  
nihil lucratur, sed magnum nonnunquam capit detrimentum. Quam-  
vis enim Etymologiae utilitas in dubium vocari non possit, quum  
prima verborum significatione non intellecta interdum etiam secun-  
dariae recte intelligi nequeant, atque non raro vernis verborum valor  
ex origine cognoscatur, et integrae adeo constructiones lucem quan-  
dam



dam inde petant, neque saepe sine hac notitia orationis splendor perspici possit, quoniam in secundariis significationibus interdum respicitur ad primam; tum qui omnia sibi in vocibus deriuandis licere putarunt, tura qui omnium omnino verborum originem indagari et reperiri debere arbitrati sunt.

In vitio igitur primum id ponendum esse existimo, si qualisque modo voces Hebraeorum ex Arabismo deriuantur. Nam quum id non agatur, ut qualecumque verborum deriuationem habeamus, sed ut veram originem sciamus, non e longinquo petitam esse debere vocis Etymologiam et arbitriariam, per se satis patet. Quae quidem si ex arbitrio cuiusque pendet, vix notae adfunt et characteres, quibus dignosci possit, vera sit deriuatio, nec ne. Non enim sufficit, ut dum ingenio nimis indulgetur, aliquo modo nexus ostendatur, sed verisimilitudo saltem deriuationis adsit necesse est. Quis enim deriuationem verbi שָׁמַן vbi morari sonat, quam proposuit Lette (k) quaque se tenebras, quae hanc vocem obsfundunt discutere ait, probabit? Confert enim radicem بلش tumult edidit, confusa turba fuit. Quae cum non sufficiat, adjungitur יְמִינָה secus fuit, exaruit; quo demum ortum putat רַבְבָּה בֵּשָׁה currus aride perplexus i. e. qui non procedit, sed humi quasi adhaerescit. Hac ratione deriuare voces et mirificas inde eruere emphases quis est, qui non in vitio ponendum esse existimet? Fatendum est, in eiusmodi rebus etymologicis ingenitum plurimum valere, quod non facile quavis similitudine abripi se patiatur, sed multo usu et diuturna exercitatione subactum sit. Iis autem deriuationibus ubique fere parum fidei est habendum, in quibus plura ad vocem deriuandam adhibentur verba, sive vbi verba in subsidium vocantur, quae longe diuersis constant literis radicalibus. Contra vero, vbi exstat arabica vox eadem ac hebraea, dubium vix est, quin a verbo iisdem radicalibus, quibus arabica vox scribitur, constante, deri-

van.

(k) In Commentatione in Canticum Debora p. 171.

vanda sit. Sic e. g. vocem **תְּמַר** vinum alii ab arabico **رَبْعَة** rubuit, alii a **خَمْرٍ** fermentauit deriuant; quo quisque iure, facile, vt mihi videtur, diuidicare potest. Nam quum **خَمْرٍ** arabice vinum sonet, etiam a **خَمْرٍ** non a **رَبْعَة** deriuandum est.

Quamquam omnino igitur digni sunt, qui reprehendantur, quicunque in ipsis deriuandis vocibus rationem minus iustam sequuntur, a quo tamen vitio facile sibi cauebit, qui non temere, quaecunque primum in mentem veniunt, illico pro veris venditat; tamen magis notandum videtur illud vitium, quo quis omnia, cuiuscunque tandem sint generis, deriuat, et tum demum sumnum se Philologiae fastigium asscutum esse putat, si multo labore multisque tricis omnia verba a fontibus suis deriuare sciat, ideoque eo potissimum Linguae Arabicae vtilitatem contineri existimet, vt primariae verborum significationes indagentur. Ac primum quidem falluntur sane, qui in eo maximam Linguae Arabicae vtilitatem ponendam esse arbitrantur, vt de primis verborum significationibus certiores fiamus, tum quia harum pleraequae in omnibus fere linguis obsoleuerunt, et rariores factae sunt, tum quia longe maior vtilitas certe in illustrandis integris phrasibus, quae indolem orientalem redolent, et in moribus populorum orientalium aliisque rebus cognoscendis ab Arabismo exspectatur. Quid? quod certe verborum multorum primae significationes atque origines ita interierunt, vt eas denuo reperire, vix sperare cordatus quisquam audeat. Atque in multis verbis ne iuuat quidem originem eandemque saepe valde incertam multo labore eruere. Quae si vltro sese obiicit, etiam eiusmodi verborum deriuationem, quae veri quandam speciem habeat, minime reiiciendam puto, sed grati muneris instar accipiendam; verum multo labore et variis artibus, quibus plerumque vtuntur, ad primariam verborum significationem indagandam, quaeri originem oportere nego, certe in iis vocibus, in quibus primam originem tenere parum aut nihil

refert. Quod quo melius pateat, exemplis rem illustrabo. Vocem לֵיל noctem designare, quisque nouit, neque facile quisquam putabit, multum hebraicae linguae scientiam augeri, si fons, unde *nox* apud Hebreos לְלִיל audiat, reperiri possit. Non defuere tamen, qui vario modo vocem deriuarunt, ex quibus Scheidii (1) Viri Ereditissimi, sed hac in re fortasse nimii, deriuationem apponam. Facile primum cuique de hac voce meditanteam a Themate לֵיל לַיְלָה ortam esse debere occurret. Huius autem verbi significaciones omnes manifesto a nomine לֵיל translatae sunt et repetitae. Quo igitur latens vocis origo e tenebris protraheretur, positum est primum: „omnia illa verba, quae apud Orientales primam literam radicalem „ultimo similem habeant, cum media defectius et tercia simul que- „scientibus in primaria notione conuenire.“ Quod quidem nonnullis exemplis adstruitur, quo iure autem in uniuersum perhibeat, nostrum iam non est iudicare. Hac vero ratione לֵיל et לַיְלָה ex vicinis לְאַתָּה, לְאַתָּה et לְנַחַת illustrat, quorum omnium primariam esse notionem flectere, deinde flectendo inclinare et reclinare ex lingua orientali abunde demonstrari posse affirmat. Iam a verbo לְאַתָּה eodemque geminato לְאַתָּה sine أَتَأْتِي, quo iugere apud Arabes vulgo sonat, (sed ne prima notio, quae in flectendo positiva est, perire videatur, Auctor illud ad splendorem reflexum atque adeo micationem coruscationem que siderum transferri perhibet.) ab hoc igitur verbo tandem efficit, לֵיל esse micationem rutilationemque ignium coelestium, et hinc per Meton. ipsum tempus quo stellae micant sive noctem. Nam operosa haec omnia sint, quisque videt. Enimvero si etiam quis veram hanc deriuationem putaret, quam pauci sane putabant, nun vel tantillum inde lucis Veteris Test. locis accedit? Nami certe Sacri Codicis Auctores, vbi voce לֵיל vbi sunt, vix de deriuatione tam e longinquu petita cogitarunt. Iam si omnium eiusmodi verborum, per se satis perspicuum, etyma hac ratione inuestigantur, magis hoc ludere est in re seria et magni momenti, quam veritati consulere. Eodem modo super-

(1) Euerardi Scheidii Observations Grammaticae ad Psalmum L. 177r.

superuacuum quid et inutile comminiseuntur, qui deriuandis vocibus geographicis et historiae naturalis, vbi non vltro fese offert vocis Etymon nimiam operam impendunt, a quo vitio ne Bochartus quidem, egregius ille Vir, vbiique liberandus est. Sufficit certe in verbis, quibus animalia designantur, nosse animal, quod innuitur verbo. Quod igitur si ex ceteris OO. Linguis demonstratum est, in quibus certum quoddam animal eodem, quo apud Hebraeos verbo, denotatur, quid necesse est ad deriuationem vagam et incertam consugere? Sic אַרְנָכָה leporēm esse apud Hebraeos, cum ex locis Veteris Test. sat multis, tum ex Arab. أَرْنَبٌ et Syr. حَنْجَبٌ, quibus lepus denotatur, satis liquet. Quid igitur opus erat Bocharto (m) Etymo vocis diu immorari et ab אַרְחָה et נִבְךָ, a carpendo terrae prouentu non optima sane ratione eandem deriuare ac multo eruditio[n]is a Graecis et Arabibus petitae dispensio ostendere, magnam saepe terris perniciem ab his bestiis creari. Fatendum tamen est, Bochartum fere semper, etiam vbi errasse videtur, subiungere derivationes, quae de Viri et ingenio et eruditione testantur. Quod in aliis longe aliter. Quis enim probabit, aut verisimilem censembit deriuationem vocis עֲקָרֶב ab arab. پی repugnare et aduersari alicui et رب alere, educare petitam? vnde dictus putatur homo, qui parentibus repugnat, et inde scorpius, praesertim si arab. ذَلَاب laedere in subsidium vocetur. Haec etiam ratio esse existimatur, cur homines, qui eis, quos veteri debebant, debitam denegant reuerentiam, Ezech. II, 6. עֲקָרְבִּים vocentur (n).

Similiter etiam in nominibus populorum et vrbium deriuandis versantur, vnde nihil lucis Veteri Test. assunditur. Quamuis enim in rebus Geographicis etymologia nonnunquam locum habeat, tamen eiusmodi deriuatio nequaquam est arbitraria, neque situm aut qualitatem locorum denotat. Multas vrbes sine in valle, sine in monte  
fitas

(m) In Hieroz. P. I. Lib. I. c. 3. et P. II. Lib. IX. c. 32.

(n) Boyesen in Beyträgen zu einem richtigen System der hebräischen Philologie, P. II. et III. p. 367.

sitas fuisse facile saepe coniicies ex nomine ipso, quemadmodum in Sacro Codice plures cum voce נַבְעָן compontuntur. Sed haec nimis generalia sunt, quam ut ipsa Geographiae scientia inde multum lucri petere possit. Maxima regionum et locorum pars nomes sortitur casu, quare vix quidquam in deriuando nomine andendum, nisi ipsa historia luce sua praebeat, ut multis locorum deriuationes ipsum Veteris Test. nobis afferueruit, e. g. vocis מִצְרָיִם Gen. XXXII. Quae quamvis per se clara et perspicua esse videantur, tamen per multi hac in re peccarunt, atque Bochartus ipse in libro, quem inscripsit, Phaleg et Canaan magis, quam in Hierozoico hac in re hallucinatus est. Cuius quidem rei exempla congerere vix opus videtur, quum res ipsa satis clara sit, neque verendum videatur, ne nimis multi in hoc vitium incurvant, quoniam haec eruditio pars manibus vulgi non teritur, sed eruditioribus, qui monitis hisce non indigent, tractanda plerumque relinquuntur. Eos vero, qui hoc modo et conferunt voces hebraeas cum arabicis et ex Arabismo derivant, atque nimis indulgent Etymologiis, Arabica Lingua, quae multos alias usus Veteris Test. interpreti praefstat, abuti, dubitari non potest.

### §. VII.

Sed erunt fortasse, qui mirentur, quid sit, quod adeo multam conferendo voces quam deriuando in ipsis vocibus arabicis explicandis hallucinentur, iisque significaciones tribuant, quae ipsis accusatori examine instituto nequamquam competere videantur. Cuius quidem rei causa haud exigua haec esse videtur, quod raro ex Arabicæ Linguae scientia instructi Veteris Test. Interpretes ad illustracionem Veteris Test. accedant, quae multo usu et frequenti lectione comparata sit, sed plerique nimis e Lexicis pendere cogantur. Quod multi iam nostræ aetatis Viri obseruarunt, atque eam ob causam frequentem librorum arabicorum lectionem recte commendarunt, sed nimis fortasse Lexicorum utilitatem infregeruat. Quainuis enim iure

¶

iure reprehendantur ii, qui e Lexicis tantum sapiunt, tamen non omnes omnino sunt a Lexicorum vsu arcendi, sed potius vniuscuiusque boni Interpretis arabica cum hebraicis comparantis esse dixerim, vt Lexica quoque consulat. Quodsi enim arabicorum librorum lectio idonea instructus sit, facile ab iis vitiis sibi cauebit, in quae incurunt, qui praeter grammaticam institutionem qualemcunque, nulla alia Linguae Arabicae scientia instructi ad Vetus Test. ex Arabinismo illustrandum accedunt. Nam praeterea quod hos fugere plurima et optima quaeque, quae ad illustrandam Hebraicam Linguam faciunt, necessario debent; propter ambiguitatem, qua saepe in Lexicis voces arabicae explicantur, et sine qua saepenumero exprimi nequeunt, quoniā Linguae non ita inter se constant, vt verbum alterius linguae, alterius verbo ab omni parte synonymo exprimi possit, sit, vt saepe aut minus aut falso intelligatur et capiatur notio verbo arabico subiecta. Haec vero certe in quavis alia lingua, qua ita abuterentur, vsu veniret. Peculiaris autem quaedam indoles est Lexicorum arabicorum, nominatim Golii, quo plerique vtuntur, vt significations non ordine dispositae sint, sed quemadmodum occurrerant, siue frequentes siue rariores promiscue extent. Quo fit, vt qui omni lectio destitutus Lexica euolnat, ignoret, vtrum consueti vsus significacionem eligat, an rarior, ideoque saepe hallucinetur necesse sit. Deinde ita quoque saepe in explicandis verbis more Lexicographorum Arabicorum versatur Goliū, vt exempla statim adiungat significatio e. g. *فِلَانْ fīlān fīdīt ferrum*, quum simpliciter tantum significet fin.

dere. In his igitur cauendum, ne exempla adiuncta ad verborum significatum trahantur; in quo saepe multi falluntur, non tantum ii, qui e Lexico Goliano augere Hebraicum Lexicon annuntiuntur, sed doctiores etiam, qui e Lexicis manuscriptis excerpta nobis dedere. Denique quum Golii Lexicon maximam partem excerptum sit ex Glossario Gauhari, qui Poetarum sermones potissimum illustrabat, ideoque saepe ad certa quaedam Poetarum loca respiciebat, reperiuntur quoque non raro significaciones, quae verbo quidem in oratione

D

et



et in rerum nexu, ad quem respicitur, competitunt, at minime in  
vniuersum. In his igitur Lexicographi Arabici similes sunt putandi  
Glossographis Graecis, apud quos eodem modo magna cautio est  
adhibenda, ne significationes additae voci in vniuersum competere  
existimantur; et idcirco, quod apud Hesychium Τέμενον exponitur per  
τούτοθέαν putetur Τέμενον componere esse, quamquam si ὄρη Τέμενον  
apud Homerum legimus, omnino Τέμενον idem est ac τούτοθέαν.

### §. VIII.

Non minus autem peccare videntur, qui, vt verba hebraica  
illustrent, ex Arabismo in subsidium vocant eiusmodi voces, quae  
dum Hebraica Lingua in ore hominum versabatur et scriptis frequen-  
tabatur, apud Arabes nondum in vsu erant. Nam non ea res agitur,  
vt quoniam docunq[ue] sensum aptum hebraeis vocibus ex arabico sermone  
tribuamus, sed vt ea, quae vere Hebraica Lingua habuit, ex ara-  
bica repetamus. Quae vero mortua Lingua hebraea qualicunque de  
causa ab Arabibus vsu recepta sunt, ea Lingua Hebraea habere non  
potuit, atque adeo in illam minime sunt transferenda, neque addissi-  
cultates in Sacro Codice obuias tollendas valent. Facili autem ple-  
rumque negotio hoc vitium vitatur. Nam quae verba ab exteris re-  
ceperunt Arabes, et civitate donarunt, quum commercio cum aliis  
gentibus itncti essent, tam clare originis suae notam prae se ferunt,  
vt neminem facile fallere possint. Sic voces ناروس, νέρος,  
خالخئون, قنديل candela سکول، σίκλος، οχολή, nemo facile ad hebraicum sermonem illusrandum adhibebit, quippe  
quae originem suam nimis produnt. Idem vero valet de iis vocibus,  
quas nouas finxerunt Arabes. Nam quum primum colere inciperent  
Arabes Philosophiam aliasque artes, augereturque rerum copia, de  
quibus sermonem conferre cuperent, necessitas orta est siue verborum  
nouorum singendorum siue veterum alio et insueto sensu usurpando-  
rum. In quibus maxime caendum est, ne significationem vocis  
Arabibus pariter ac Hebraeis communis post Hebraeorum tempora

re-

receptam in subsidium vocemus, praesertim in iis vocibus, quae post Muhammedem potissimum inualuerunt. Multa enim nouae religionis auctor a Iudeis accepit, quae ex Veteri Test. hauserant. Itaque quum haec omnia manauerint ex Veteri Test. et interpretatione rum temporis Iudeorum falsa eadem saepe et incerta nitantur, ad illustrandum iterum S. C. valere non posse, etiam me nihil monente quisque intelliget. Eiusmodi verbum esse videtur arabicum السلوى in Corano (o) obuium, a quo lucem se posse confundere verbo لُبْرُ, quod in S. C. Exod. XVI, 13. primum reperitur, permulti existimabant. Verum vix videtur exinde aliquid lucis exspectari posse. Nam non videtur ipsis hoc verbum certum quoddam et notum cibi genue denotare, neque sermone quotidiano teri, sed sacra potius esse vox, quae ipsis aequa obscura est ac nobis. Quod quidem arguit Corani interpretum dissensio, quae vix esse posset, si notum quoddam aut vel plicis genus hoc verbo designaretur. Fortasse etiam aliquid lucis capere posset ex Arabismo locus Ios. XIV, 15. nisi timor subesset, ne verbum, quod apte hunc locum illustrare posset, recentioris vsus sit. Locus ita se habet: שם חברון לפנים קורת ארכ' החותם הגובל בכנען רוחא quod vulgo sic vertunt: Nomen Hebron ante Cariath Arba, qui homo maximus fuit inter Enacim. Nam opinio, quae ex hoc loco originem habet, Adamum Hebroni sepultum esse, certe ab auctoris sacri consilio valde aliena, nec nisi ex Versione Vulgata nata esse videtur. Nam ea Nomen Hebron, dicit, ante fuit Cariath Arba. Adam maximus ibi inter Enacim fatus est. Arabibus دار الدار, antisitem, qui praeceps sue consilio sue exemplo, denotat: ut igitur vertendum esset; qui magnus ille dux sue principis est Enacim; quemadmodum etiam loquutio est apud Arabes دار دار ille princeps est gentis suae. Huic explicationi valde fauerebatur Ios. XV, 13. vbi

D 2

Arbs

(o) Sur. II. 56. ed. Maracc. v. 54. ed. Hinckeln. Meretur in hanc rem  
conferri ill. Michaelis Syntagma Commentationum P. II. p. 104-110.  
113-116, nec non, questiones eruditissimae a Danorum Rege in Ara-  
biā missis ab eo propositae, german. idiom. p. 11-13.



Arba vocatur אָבִי הָעֵנֶק pater Enacim, ita ut pro synonymis esse posse videantur. Sed, ut vera fatear, vereor, ut haec vocis significatio, qua ducem et antisitem denotat, valde antiqua sit et Iudeis Arabibusque communis, sed fortasse post Muhammedem vsu recepta, quum plura de historia sacra et de primo hominum patre traderentur. Fieri sane non potest, quin apud Arabes praeter illam diuersitatem, quae in omnibus omnium linguarum dialectis obtinet, multa etiam alia innecta sint, quae ex variis rerum vicissitudinibus pendent, multa ipsa ab Hebreis diuersa viuendi ratione, multa cultura disciplinarum artiumque, multa commercio cum exteris gentibus variisque cum iisdem bellis, multa denique religiose noua, quae bellorum frequentium non exigua fuit causa. Ab his omnibus igitur sedulo sibi caueat necesse est, ne transferantur ad hebraica, quicunque veram lucem ex Arabicā Lingua in Hebraeam transferre studeat. Hoc loco illud vitium minime praetermittendum est, quo eae quoque voces, quae apud Hebreos exteræ originis sunt, ex Arab. repetuntur. Pleraque huius generis verba primo statim intuitu alienam originem produnt, quorum nonnulla ex Aegypto sunt repetenda. Nihilominus tamen eiusmodi voces ex Arabismo illustrare permulti tentarunt. Sic שְׁעַטְנָה vestis genus, cuius vsus Iudeis lege prohibitus est Lev. XIX, 19. et Deut. XXII, 1., quae procul dubio vox est Aegyptiaca, partim ab Hebraico, partim ab Arabicō deriuata est. Iudeorum enim doctores alii ex שְׁלֹשָׁה laeuigare טוֹרָה nere et נְאָזֵן texere vocationem componunt; ali primam vocis syllabam שְׁלֹשָׁה ortam esse putant ex arabico شَعْلَسْ commisicuit, alteram מְעָזֵן ab מְעָזָה amiciuit vestiuit, tertiam denique a Chaldaico נְזָהָן fila contorquere, ut sit vestis mixta filo Bochartis (p) autem, adhibita etiam admodum dubia literarum commutatione hanc vocem compositam putat ex לְזָה et ex Hebr. נְזָה textum. Verò limiter vero et haud dubie vox est aegyptiaca, cum non insolitum sit Hebreis, ut omnibus omnino gentibus, res peregrinas nominibus etiam peregrinis denotare, atque constet, plurimas

(p) In Hierozoico, Lib. I. c. 45.

rimas res ad rem vestiarium pertinentes ex Aegypto in primis fuisse petitatis (q). Quare abutitur sane Arabicae Linguae copiis, qui eas ad eiusmodi voces illustrandas adhibet, quae in fronte iam produnt, se in patrio solo non esse prognatas. Similiter vocem **תְּבִיבָה** nauis genus alii a **תְּבוּבָה** vel **שַׁבְּבָה**, quasi eadem cum **יְשֻׁבָּה**, deriuandam esse putarunt verteruntque per *habitaculum*, alii vero **تَابِعَةٌ** et **تَابِعَاتٌ** vel **شَابَةٌ** vel **شَابَاتٌ** a rad. **ذَبِيَّهُ** vel **ذَبِيَّاتُ** colligere contulerunt. Quam longe autem utriusque a vero aberrent probavit, meliori proposita illustratione, Forsterus cel. in modo laudato libro pag. 113.

## §. IX.

Quemadmodum vero ex Lingua Arabică non singula tantum verba, sed integrae etiam phrases lucem suam petunt, tum confundo easdem apud Arabes loquutiones, tum similes loquendi rationes in subsidium vocando, ita cautio certe magna adhibenda est, ne Hebraeo Sermoni obtrudantur, quae hebraea non sunt. Quamquam autem vitia in integris phrasibus conferendis natura sua tam multa esse non possunt, quam in singulis verbis illustrandis vsu venire solent, tamen vario modo etiam hac in re peccari potest. Et quidem maxime notandas videtur ille error, quo non singulis phrasibus ex Arabismo aliquid lucis assunditur, sed quo vbique arabica cernuntur, omnia genium arabicum redolere putantur, omnia ita ex Arabismo mutuantur, vt similes loquendi rationes conferendo, singulares ex quibusque phrasibus Emphases eruantur. Quod qui faciunt, procul dubio nimii esse hac in re putandi sunt. Summam quidem Linguarum Orientalium inter se necessitudinem nemo sane negaverit, qui leuiter duntaxat hasce literas attigerit; sed idem etiam profiteatur necesse est, suum quamque genium seruare suamque indolem, quam ex altera transferre in alteram in vitio ponendum est. Eodem enim iure,

D 3

quo

(q) Qui plura de hac voce congregata et bene disputata legere cupit, audeat I. R. Forsteri librum singularem de Byffo Antiquorum. pag. 92.

quo ad Arabicam Linguam, etiam ad Syriacām et Chaldaicām omnia  
exigi possent, quod qui fecisset, hucusque repertus est nemo. Cha-  
racteres autem, quibus dignosci possit, recte adhibetur Arabismus  
in phrasibus hebraeis illustrandis, nec ne, multo magis ipse contex-  
tus praebet, quam in vocibus singulis fieri potest. Quodsi enim  
non durum sed simplicem et facilem reddunt sensum, neque a con-  
filio auctoris abhorrentem, et vere igitur locus inde aliquid lucis  
captat, recte Arabicam Linguam in subsidium vocari patet. Sed  
sensus arabicae loquutioni subiectus non obscurus, sed clarus et ia-  
vitu sit necesse est, quod non raro negligitur. Hoc modo eorum  
nonnulli peccasse mihi videntur, qui phrasin **מִבְנֵי גָּלְרִים** Genes. XLIX, 10. et Deut. XXVIII, 57. occurrentem ex Arabismo illustrare  
conati sunt. Vriemoet enim hanc in rem adfert locum Corani Sur.  
LX, 12. **وَلِإِيَّاينِ بِهَتَانِ يَغْرِبُنَةِ دِينِ يَدِيهِنِ وَرِجْلِهِنِ** et  
venient (sc. feminas) *absque mendacio, quod fingant inter manus*  
*et inter pedes.* Ita reddit locum, sed quomodo aliquid lucis inde  
captet haec phrasis, non ostendit. Ex eodem loco post eum loquu-  
tionem hanc explicare adgressus est Ioh. Medhurst (r). Ac primum  
quidem dictionem arabicam **بَيْنِ يَدِيهِنِ** exponit, quae non tantum  
de eo quod praesto est usurpat, et coram sonat, sed etiam ante,  
ratione temporis. Quod probatur Sur. LXI, 5. vbi Christo tribuun-  
tur haec verba: **أَنْتَ رَسُولُ اللَّهِ الْكَمْ مَصَدِّقًا لِمَا بَيْنِ يَدِي**  
**مَنْ ذَلِكُورْ يَدَهُ.** Ego sum legatus Dei ad vos, confirmans id, quod  
inter manus meas i. e. ante me fuit de lege. Phrasin autem *inter ma-  
nus meas* hanc vim habere, probat ex eo, quod statim subiungatur  
*يَانِي مِنْ بَعْدِي* *وَمِنْشَرِّا بِرْسُولٍ* ياني من بعدي  
*annuncians vero legatum, qui ve-*  
*niet post me;* ita ut **يَانِي يَدِي** et **بَيْنِ يَدِيهِنِ** opposita sibi sint. Iam  
vero putat eodem modo sibi esse opposita  
**بَيْنِ يَدِيهِنِ** et **بَعْدِي** من بعد et **بَيْنِ يَدِيهِنِ** ac atque tum locum Corani Sur. LX, 12.  
modo

(r) In Conjectura de verbis Vaticinii Iacobi Genes. XLIX, 10., quae  
extat in Biblioth. Hagana P. II. p. 297.

modo adscriptum ita vertit: *et non veniunt cum ficto a se mendacio ante se et post se i. e. quae non veniunt cinctae mendaciis in star ancillarum.* His igitur praemissis, eodem modo explicandum esse censet. Obstant vero nonnulla, quo minus hanc phrasin arabicam ad illustrandam hebraicam recte adhibitam fuisse primum. Primum enim ipsa arabica phrasis obscura est, et ingenuus quisque facile fatebitur, de sensu illius non certo sibi constare; sed quae attulit ad explicationem eius auctor, non nisi conjecturae, forte non valde probabilis, nomen merentur. Certe Gelal, arabicus Corani interpres, longe aliter, sed nescio an magis recte, phrasim explicat. Cogitat enim de mendaciis, quibus feminae prolem spuriam veram esse et ex marito suo legitimam perhibent; *quia*, inquit, *dum mulier parit, cadit foetus inter manus et pedes illius.* Haec igitur explicatio magis fueret illorum opinioni, qui hebraicam phrasim de patre gignente et pariente matre per Euphemismum usurpari putant. Hanc igitur loquitionem, de cuius sensu tam parum constat, recte ad illustrandam hebraicam adhiberi nego. Deinde vero sensus, qui elicitor parum etiam videtur conuenire locis, quibus haec phrasis occurrat, sed admodum duriter iis applicatur. Certe eorum fententia maxime nos arridet, qui hanc phrasim de patre gignente et pariente matre usurpari censent, tum *quia* utriusque loco optime conuenit, tum *quia* Hebrewi de eiusmodi rebus loquentes, Euphemismum adhibere amant, et de pedibus loquuntur. Sie pro *vrina ipsorum* 2 Reg. XXIX, 27. et Ies. XXXVI, 12. lectio *שׁוֹרָה* est *קְרֵי*, Syris *טִימַרְגָּלִיחָת*.

## §. X.

Non minus autem nimii in studio linguae arabicae ad illustrandum Vetus Test. iudicandi sunt, qui hebraea legendi voces et phrases et loquendi rationes arabicas ita habent animo obuersantes, ut eiusmodi adeo explications in medium proferre non dubitent, quae ipsis

legibus, quas Hebraea Lingua perpetuo vsu sibi scripsit, aduersantur, siue Grammaticae primis principiis repugnant. Huius generis vitium haud dubie reperitur in Coniecturis Reiskii in Iob. X, 17. vbi ad verba חָלִיפּוֹת וְצַבָּא עַמּוֹ notatur: *Vox est pura puta arabica وَصَبَّا*. Radicale est *Vau*, et seruile נ, nota scilicet Accusatiui. In quo vnico verbo dupliciter contra Grammaticam peccatur. Nam quis vnquam Accusatuum more Arabum terminatione נ notatum inuenit? Deinde ו apud Hebreos initio vocis tanquam radicale nunquam reperitur. Nota enim res est, و Arabum initio vocum, si transeat in Sermonem Hebraeum, mutari in ' neque, praeter ipsam literam ' vllam esse vocem hebraeam, quae initio habeat ' Itaque si responderet وצַבָּא arab. وصَبَّا omnino scribendum fuisset *צַבָּא*. Contra eandem rem peccatum est versu 22. eiusdem Capitis: אֶרֶץ עֲפָתָח כְּמוֹ־אַפְלֵל צְלָמָות וְלָא סְדָרִים וְהַפְעָעָם כְּמוֹ אַפְלֵל quem versum paene merum arabicum suis literis sic scribi putat: أَرْضٌ عَفَتْهَا كُمْ وَأَفْلَنْ ظَلْمَوْتٌ وَلِلْأَسْدِلْرُ وَتَنْبِعٌ كُمْ وَأَفْلَنْ et utrobique *כְּמוֹ־אַפְלֵל* separandum sic censet כְּם וְאַפְלֵל, in quo idem illud monendum, ו radicalis initio locum habere non posse: deinde כְּם vocem hebraeam non esse; denique הַפְעָעָם قَنْبَعٌ et قَنْبَعٌ nullo modo posse conferri.

Similiter ii quoque videntur taxandi, qui quamvis contra Regulas Grammaticas non peccent, tamen ipsam Grammaticam Hebraeam Arabicae nimis conformandam esse censem. Etsi enim multa admodum utiliter ex Arabismo hoc transferuntur, tamen etiam hac in re multiplex est abusus. Nam quum Grammaticas Linguæ rationes eo consilio inuestigemus, vt et facilius Linguam ipsam discere possimus, et perfectiorem eiusdem certioremq[ue] nobis comparemus scientiam, omne ex Arabicâ Grammatica petitum, quod neque res obscureas difficilioresque clariores, neque ipsam hebrei sermonis descendit rationem faciliorem reddit, nimium lac in re putandum est.

Sig

Sic qui omnes Coniugationum arabicarum species, easdem non olim tantum hebraicas fuisse, sed omnium earum in Codice Sacro exempla reperiri debere perhibent, abutuntur sane Arabicae Linguae scientia. Cuius quidem rei ut unum tantum exemplum adiungam, multi vario modo Arabum Coniugationem VIII in Veteris Test. libris reperiire tentarunt; inter quos Joannes Ratelbrand (s) hanc viam ingreditur. Putat scilicet formam **הַקְטָל** eandem esse cum Arabiū octaua, quippe quum haec formetur adiecta Syllaba **אֵל**, quae Hebraeorum **הַת** respondeat, modo apud Arabes ieuis trajectio characteristicæ **וּ** cum prima radicali in vsu sit, ut **عَقْنَقٌ** dicant pro **أَعْنَقٌ**, quod eo minus mirandum, quum Hebrei ante sibilantes **שְׁבִבָּת** eandem frequentent trajectioneim. Sed hac ratione res arabicas obtrudero Hebraeo Sermoni, certe nefas est. Vnde enim probari potest, apud Arabes **عَقْنَقٌ** pro **أَعْنَقٌ** dici, quum nullum adsit exemplum, in quo octaua Coniugatio ita formata exstet. Quare certe eo continetur character huius Coniugationis, ut post primam radicalem insertum sit **וּ**, neque accidentale quid putandum est, et si apud Hebraeos vere in vsu fuit haec forma, exempla, in quibus **וּ** post primam radicalem insertum sit, in medium proferantur necesse est.

(s) In Dissertatione philol. de Continenientia admirabili Dialecti Arabicae cum Hebraea, sub Praesidio Alb. Schultens defensa Lugd. Bat. 740.

S E C T I O   III.

*Nimii sunt in studio Linguam Hebr ex Arabica  
illustrandi, qui eam solam conferunt; nihil fere  
ceteris Veteris Test. interpretandi subsidiis  
tribuunt.*

§. XI.

**Q**uodsi igitur abatuntur Arabismo, tum qui in ipsis vocibus com-  
parandis viam minus rectam sequuntur, tum qui hebraicis vo-  
cibus ex Arabismo significaciones praeter omnem necessitatem obtru-  
dunt, certe et ii in studio Linguam Hebraicam ex Arabica explicandi  
nimii putandi sunt, qui contemptis sive certe neglectis ceteris inter-  
pretandi subsidiis omnibus, hanc Arabicæ Linguae scientiam solam  
sufficere ad Veteris Test. interpretationem arbitrantur. Quod enim  
in rebus magnæ utilitatis plerumque contingere solet, vt, qui de  
rei cuiusdem utilitate persuasi eandem aliis commandant, pro com-  
muni hominum imbecillitate, intra iustos fines sese continere nequean-  
t, id quoque in studio Arabicam Linguam ad Veteris Test. illus-  
trationem adhibendi videtur accidisse. Nam quum ii, qui primi  
aut principes in Lingua Arabicâ commendanda fuerunt, sive tanto  
huius linguae amore capti essent, vt cetera subsidia nihili haberent,  
sive ita acres in rei utilitate vrgenda, vt huic rei intenti iusto minus  
ceteris subsidiis vterentur; ortum deinceps est, vt aucta imitatorē  
copia, Arabicæ Linguae Laudatores existarent, cetera autem fere  
omnia, quae ad Veteris Test. intellectum faciunt negligenterur.  
Quod quidem eruditioni et Veteris Test. interpretationi admodum  
perniciosum est. Quanquam enim Arabicæ Linguae scientia apprime  
utilis est ad Veteris Test. intelligentiam, tamen non omnia præflare  
potest, neque propterea aliarum rerum utilitate est dero-

gan-

gandum; sed saepe fit, vt Arabicæ Linguae scientia non nisi coniuncta cum aliis interpretandi subsidii prospicit. Quare nostrum esse videtur, vt iam præcipua subsidia, quae propter nimium Arabicæ Linguae studium a quibusdam neglecta sunt, quantum hac breuitate fieri potest, persequamur, et a contentu Arabismo nimium tribuum vindicemus.

§. XII.

Ac primum quidem notandi veniunt, qui minus iusto dant contextui et locorum inter se collationi, sed omnem lucem, sive verba sint satis clara, sive obscuritate laborent, pariter operose ex Arabismo petunt. Etsi enim fuerunt, qui orationis seriem et collationem antecedentium cum consequentibus, quem contextum vulgo vocant, in significationibus verborum eruendis nimium sequuti sunt, quique non tantum quorundam verborum significationes ex locis valde perspicuis et claris discere, sed omnes omnino voces e solo contextu nullis aliis subsidii adhibitis, eruere studuerunt, ex quo summa interpretationis incertitudo oritur, qua nihil induci perniciosius potest; tamen etiam nihil non dandum est orationis nexui et contextui. Sunt enim loca, in quibus verba etiam difficiliora et rariora ita sunt constituta et ita cum aliis iuncta, vt de eorum vera significatione certo constare, neque de ea dubitari possit, quanquam in tanta hebraeorum librorum paucitate de omnibus sive plerisque vocibus eiusmodi loca exstare nequeant. Haec igitur verba, quorum significatio ex loco quodam satis patet, qui anxie et operose ex Arabismo illustrant, nimium tribuunt Arabicæ Linguae studio. Quodsi vltro sese offert ex Arabismo sive verbum hebraeo respondens idemque sonans, sive deriuatio apta, grata sane cuique erit et accepta etiam haec linguarum conuenientia. Sed eiusmodi voces multa opera ea Arabismo repeti debere non censemus, quum significatio eadem, quam contextus suppeditat, semper maneat necesse sit, neque aliis etiam verbis, quae



tam operose quaesita sunt, quidquam verae lucis assundant. Qui vero huic rei exemplum petit, eum relegamus ad ea, quae §. V. de voce **רַבָּת** disputata sunt, cuius significatio *pariendi* et *gignendi* ex ipso hebreo texta satis clara, multis ambagibus repetitur ex Arabismo. Quorum verborum significatione ex Arabismo illustranda eo magis abstinenter esse puto, quo facilius inde Arabicæ Linguae studio inuidia conflatur. Nam si nota tractantur tanquam prorsus ignota, et quae iam ex ipso Sacro Codice patent, multa opera multisque tricis ex Arabismo deriuantur, omne hoc studium suspectum fit, dum putant, in aliis vocibus etiam cordatiores ita versari. Fatendum tamen est, non ita multos et magni nominis viros fuisse, qui lucem, quam in vocibus nonnullis ipse hebreus Codex habet, penitus spreuerissent.

### §. XIII.

Sed eo plures fuere, qui, soli Linguae Arabicæ libantes, ceteras OO. Dialectos fere omnes neglexerunt. Hos autem permagnis earere commidis, dum, quid ab illis subsidii peti possit, non cernunt, atque saepe hallucinari debere, dum, quae ex alia Dialecto repeti debuissent, quaeque vltro fortasse eiusdem gnaris sese obtulissent, ex sola eruere conantur Arabicæ Dialecto, res ipsa docet. Non omnes enim voces in omnibus Dialectis pariter in usu sunt, sed quae alia Dialectus respuit, recipit alia et frequenter usurpat. Quo sit, vt, quae Arabicæ Dialectus nobis deneget, nullo saepe sine facili negotio ex una ceterarum Dialectorum illustrari possint. Fatendum tamen est, non omnium Dialectorum eandem esse utilitatem, siquidem aliae propter regionum, in quibus obtinebant, vicissitudines, ipsae mutatae sint et alteratae, aliae autem propter librorum, qui ad nostram aetatem peruenierunt, penuriam in nostrum usum non satis adhiberi possint. Sic a Lingua Samaritana non multum lucis in illustrandis hebreis vocibus exspectari potest, quum praeter Versionem Samaritanam nihil hac lingua exaratum exstet, quamvis huius linguae

grae scientia' utilis sit, in primis illis, qui rei criticas operam dant, propter Codicem Samaritanum Pentateuchi, hebraeum illum quidem, sed literis Samaritanis conscriptum. Magis autem verborum hebraeorum significationibus eruendis inferire videtur Aethiopum Lingua, cuius usum commendauit Iobus Ludolfus, qui, quamvis fortasse nimius sit in laudibus huius linguae enarrandis, tamen multa utiliter ad perfectiorem Linguae Hebr. cognitionem inde derivari posse, satis superque comprobauit. Praeterea vero libri Veteris Test. qui exstant aethiopice versi, ad rem Criticam Alexandrinae Versionis, utpote ex versione LXX viral factae, non parum habent utilitatis. Chaldaica vero Dialectus admodum saepe innuit significationes verborum, quae collatis aliis Dialectis OO. non raro firmantur. Et sane nulla facile alia Dialectus huic parem fortunam habuit, vt tam saepe et sine ulla inuidia ad Hebraeam Linguam intelligendam adhibita fuisset; quoniam primi Veteris Test. Interpretes huius Dialecti scientia inbuti erant, eademque apud posteros quoque seruabatur. Attamen in ea vienda cautio est adhibenda, ne hebraicis vocibus significationes tribuamus, quae in ipsa Lingua Chaldaica senioris sunt originis. Chaldaica enim Lingua, praecipue vero Dialectus, quam hierosolymitanam vocant, non multis tantum graecis aliisque verbis mixta est, sed multas quoque pro arbitrio verbis addidit significationes. Verum quae, praeter Arabicam Lingua, Hebraeae maximos usus, tum propter summam cum Hebraea Lingua necessitudinem, tum propter librorum, quibus gaudemus, copiam, praefstat, Syriaca Dialectus, diu nimis neglecta iecit; et quanquam propter discendi facilitatem et ut Noui Test. Versio Syriaca intelligi posset, non semper ignorabatur, tamen raro ad Veteris Test. illustrationem adhibita est. Quo factum est, vt saepe in subsidium vocaretur Arabica Dialectus, ubi Syriaca consuli debuisset. Sic, vt unico tantum et ultiro fese offrente exemplo utar, hebraicum בָּרֶזֶל ab arabico friguit, firmum, fistabile fuit, derivarunt, quod, vt loquuntur, ferrum frigidum et durum

fit; si vero ex aliis Dialectis haec vox illustrari debebat, certe adeunda erat Syriaca sive Chaldaica Lingua, in qua פְּרִזְלָא, Chald **פְּרִזְלָא** ferrum, sonat, neque meram derivationem ex Arabismo anxie conquirere necesse erat. Hic est, quem iam potissimum reprehendimus abusus Linguae Arabicae, qui certe vitatur, si ceterae Dialecti ab huius Dialecti scientia non separantur. Saepe etiam analogiam quan-dam cum Hebraea Lingua ostendunt, quam ignorat arabica Dialectus. Sic in Ecclesiaste saepe פְּנַחַד desiderium, voluntas, positum pro בְּרֵר res, negotium; quod quidem firmatur simili quodam Chaldaicae et Syriace Linguae verbo פְּנַחַד chald. נְבָגָן, quod res, negotium sonat, quoniamuis pariter ac hebraea vox a verbo, quod velle, desiderare sonat, nempe פְּנַחַד ortum sit. Iam vero in Germania etiam huius linguae usus et ad hebraeam Linguan applicatio frequentior fieri videtur, postquam multi eandem commendarunt, praeципue vero postquam vterque Michaelis, pater et filius (t), utilitatem, quam affert Syriacae Linguae scientia Hebraeo Codici aliisque doctrinae generibus, et oratione docuit et exemplo. Quare Tantis Viris praeeuntibus et Syriacae Linguae usu latius iam per Germaniam se diffundente, licet nobis esse brevioribus.

#### §. XIV.

Non raro etiam Arabica Lingua in sanioris Critics detrimentum adhibita est. Etenim qui pro Hebrei Codicis integritate pugnarunt, lectio-nem Codicis prelo descripti contra omnium aliorum Codicum veterum-que Versionum auctoritatem defendandam, et lectionem qualemcunque, etiam si rite intelligi consuetis viis non posset, ex Arabica Lingua illustran-dam esse existimarunt. Quodsi igitur hac ratione omnia, quae velis, exsculpi possunt Linguae Arabicae ope, ideoque res Critica non neglectui tantum habetur, sed penitus etiam a Sacro Codice remouetur, certe non mi-

(t) Ille quidem, *Christ. Bened. Michaelis*, in Dissertatione, qua lumina Syriaca pro illustrando Hebraismo facio adhibentur. Halae. 1756; Hic vero, *Joh. Dav. Michgelis*, in libello, quem inscripsit: Ab-handlung von der Syrischen Sprache und ihrem Gebrauch, et in aliis libris passim.

rum est, multis huius Linguae scientiam Codice Sacro magis perniciosa quam utilem videri. Verum nimii sunt procul dubio hac in re, qui Arabica Lingua ad meras opiniones defendendas et stabilendas abutuntur. Qui vero recte scit ut Lingua Arabica, tantum abest, ut is ad Rem Criticam a Sacro Codice remouendam incitetur, ut potius ad verum et sobrium Critics usum admoneatur. Nam et varias vias parum conuenientes, quibus loca affecta ab omni vitorum suspicione liberare tentant, spernet, et saepe Arabicae Linguae scientia monitus sibi cauebit, ne temere locis suspectis manus medicas inferri debere putet. Sic sane multa, quae adulterina habebantur, vindicauit Albertus Schultenius, e. g. Iud. II, 3. vbi Deus gentes, quorum altaria non diruerant Israelitae, se negat extirpaturum esse, additis his verbis: **וְהִווּ לְכֶם לְצָרִים וְאֵלֹהֶם וְהַווּ לְכֶם לְמוֹקָשׁ**. Hanc vocem **לְצָרִים**, quoniam vertunt LXX. **εἰς συνοχας**, Chaldaeus, Vulgat. **hostes**; multi hosce Veteres una litera leuiter mutata legisse **צָרִים** existimarunt. Schultenius vero docuit (u) ex Arabismo, in quo **خَدَى** est, **contrarius fuit**, et in III. **ضَانٌ** **hostiliter** se **opposuit**, nomenque ipsum **خَدَى** **بَلْ** **hostis**, quod multis variorum auctorum locis probat, eos non aliter, ac iam extat in textu vulgari, legisse (x). Sed non in omnibus ita feliciter versatus est, et imitatores affecutus est, qui loca etiam manifesto falsa, ex Arabismo, ac si genuina essent, illustrare aggressi sunt. Cuius quidem rei ut unum modo exemplum e multis afferam, Gerardus Kuypers (y) i Sam. XVII, 23.,

vbi

(u) In Animaduersionibus philologicis et criticis ad varia loca Vet. Test. p. 95.

(x) De eo vero an locus ipse ita explicandus sit, vt **خَدَى** **hostis** hoc loco significant, non sine ratione videtur dubitari posse. Neque omnino ratione carere videtur eorum explicatio, quicunque teuste vocem **צָרִים** **venari** deriuare voluerunt; vt igitur **צָרִים** idem fere esset ac **מוֹקָשׁ**. Neque Dagesch literae **ר** impressum morari quemque potest. Nam quemadmodum ab **ח** fit **חָנָה** **אֲשֶׁר** **אִישׁ**, **צָרִים** **צָרָה**, sic etiam a **צִיר** factum **צָרִים** dixerim; siue si quis malit analogiam solemniorem sequi, **צָרִים** punctandam esse vocem affirmari.

(y) In Dissertatione ad varia Veteris Test. loca ex Dialectis vindicata et

vbi Goliathus dicitur exiisse מִמְעָרוֹת בַּלְשׁוֹתִים et ubi Kri habet מִמְעָרֶבֶת קְרִי addita litera ק, vulgarein lectionem sive Cthib defendit, et si nulla probabili ratione explicari possit, et lectio קְרִי facillimum fundat sensum, et omnes Veterum Versiones pro ea faciant. Alexandreini enim reddunt verbum ἐν ταῖς παρατάξεων, Chaldaeus מִסּוּרִי, Cyrus نَفْسٌ مُّكَلَّطٌ, Vulgat. de castris Philistinorum, omnes iisdem prorsus verbis quibus מִעֲרָכָה per omne caput saepissime occurrentis reddiderunt. Iam vero ut in suas partes trahat veteres hosce Auctor, ponit מִעֲרָה prorsus idem esse ac מִעֲרָכָה negatque aliter a Veteribus reddi potuisse. Quod ut verisimile fiat, non sine abuso Linguae Arabicae efficere studet. Deripat scilicet vocem a rad. נָכֵן nudus fuit, ex qua est نَوْرَةٌ quidquid circumiacet urbem, i. e. nudus campus patensque, nec non caterua hominum in tali scilicet patentē loco sita, et נָכֵן locus spatioſus et apertus seu subdialis. Iam quum per Mem formentur nomina locum designantia, ut a כְּנֵסֶת habitaculum כְּנֵסֶת locus habitationis, a قَبْرٍ sepelice مَقْبَرَةٌ coemiterium, locus sepelitionis; concludit, quod نَوْرَةٌ cateruam hominum in nudo, id est, patentī loco sitam, significet, نَوْرَةٌ esse debere locum, vbi talis caterua subsistat, et illud demum facile posse ad Caſtra in patentē et aperto campo sita transferri. Profecto, si quid unquam, hoc est, Arabica Lingua in rei critices detrimentum abiuti. Nam Hebr. Lingua non tantum alias ignorat verbum מִעֲרָה, sed ne in sermone arabico quidem exstat, sed multis demum ambagibus deductum est variisque artibus fictum. Putant autem, qui ita agunt, se integratatem Codicis Hebraei defendisse, et omnem rem criticam inutilē pronunciaſſe. Cuius quidem rei, qui plura exempla cupit, non nulla reperiet in hac ipsa Dissertatione, nec non in duabus Disserta- tio-

et illustrata, quam sub praefidio Alberti Schultensi defendit MDCCXLIII,  
 iam vero recusa.

tionibus academicis, de utilitate Dialectorum OO. ad tñendam integritatem Codicis Hebraei Ioh. Iac. Schultens sub praesidio patris Al-Schultensi defensis A. R. N. MDCCXLII. — Sane qui omnes confuetas lectiones genuinas, ceteras autem, quae a lectione recepta recedunt, adulterinas existimantes omnia ad defendendam consuetam lectionem exArabismo arcessunt, et rei criticae parum periti sunt habendi, et Arabicae Linguae scientiam male videntur colloasse. Nam qui semper lectionem τ& Cthib praeferunt lectioni τ& Kri, non melius agunt, quam qui hanc illi semper esse praeponendam pronunciant. Quum enim Kri et Cthib nil nisi lectionis varietatem constitutat, et in aliis Codicibus lectio τ& Krisit, quae in aliis est lectio τ& Cthib, quumque Veterum Versiones modo pro hac modo pro illa, neque vero semper pro eadem faciant, generatim lectio sive τ& Kri sive τ& Cthib genuina indicari non potest, sed omnis res, ut omnis alia lectionis varietas e Codicium veterumque Versionum auctoritate est diudicanda. Qui igitur, antequam lis direpta sit, alterutram partem omni modo defendendam sibi sumunt, et cuncta ex Arabismo explicare conantur, nihil agunt et laborare suscipiunt prorsus inutiliter. Nam si lectio defensa spuria est, quid iuvat ingeniosissima et varia arte ex Arabismo petita explicatio?

### §. XV.

Nonnunquam etiam propter nimium Arabicae Linguae amorem neglectae iecerunt veteres SS. versiones, quae ut rei Veteris Test. criticæ, ita et Philologiae Hebraeae summo sunt praesidio. Quemadmodum enim olim nimium fortasse tribuebatur Veterum Interpretum sive potius Versionis Alexandrinae auctoritati, atque inde omnia Hebraeae Linguae scientiam hauriendam esse putabatur; ita postquam ex Arabismo magis Hebraea Lingua illustrari coepit, desertus est plerumque hic fons ab iis, quibus maxime salutaris atque utilis eiusdem usus fuisset. Exstant enim in Veteribus S. C. Interpretibus vestigia quaedam veritatis infixa, quae si persequantur ii, qui veris vocum hebraearum significationibus indagandis operam dant, fieri non potest; quin ipse labor in-



gandi saepe diminuatur ipsis viam monstrantibus, resque ipsa eorum testi-  
monii suffulta multo certior fiat. Quum enim harum versionum auctores  
propius ad tempora ista accedant, quibus Lingua Hebraea in hominum ore  
et vsu versabatur, dubitari vix potest, quicunque multae iamiam ignotae verborum  
significatiōnes ipsis siue vsu siue traditione innotuerint. Deinde vero ple-  
rius veteres S. C. interpres Linguarum OO. non erant ignari, sed vnam  
saltem earundem Dialectum tenebant. Quo quidem factum est, ut faciliori  
negotio easdem linguis, quibus iam ad hebreum sermonem illustrandum  
vtimur, in usum Hebraeae Linguae adhibere possent. Et sane saepenumero  
accidit, ut eorum interpretatio sine OO. Dialectorum scientia neque intel-  
ligi rite, neque explicari possit. Quod sane certum videtur esse documen-  
tum, hos Interpretes siue hebraeae voci vere hanc significationem compe-  
tere, compertium habuisse, siue certe hanc vocem, quam conferunt, Syria-  
cam aut Arabicam cum verbo hebraeo comparandam esse sibi persuasisse.  
Sic igitur vestigia saepissima, quae in indagando persequenda sunt, signant, et li-  
tem nonnunquam, si e duabus pluribusque explicationibus probabilibus  
optio difficilis, dirimunt. Certe enim ea ceteris paribus praferenda erit,  
quae unius versionis siue plurium adeo auctoritate firmeantur. In nonnullis  
autem vocibus, quibus in V. T. animalia et plantae designantur, plurimum  
valet Veterum Interpretum auctoritas. Quum enim hae res nonnullis fue-  
rint domesticae, etiam nomina earum nosse satis certo potuerunt, vt e. g.  
Alexandrini Pentateuchi Interpretes rerum Aegyptiacarum videntur fusisse  
valde periti. Haec breuiter de veterum versionum in hebreia lingua illus-  
tranda utilitate dicenda esse putauit, ne Arabicæ Linguae nimium tribu-  
endo, haec praestantissima Hebraicam Linguam cognoscendi subsidia  
negligerentur.

### §. XVI.

Haec fere sunt, quae de iis, qui in studio Linguam Hebr. ex Arabicâ illu-  
strandi in excessu peccant, hac breuitate dicenda aut certo innuenda esse vi-  
debantur. Quamuis vero ex tam varia parte hac in re et peccati possit, et  
vere peccatum sit, tamen minime putandum est, inutile prouersus et reicien-  
dum esse omne hocce studium. Nam abusu virtus vsus nequaquam tollitur.  
Illud vero omnino efficitur, non facile cuiquam locum quemdam ex Ara-  
bismo illustraturo simpliciter fidem habendam esse, sed, ut de eiusmodi in-  
terpretationibus idoneum iudicium ferri possit, ea quemque Arabicæ Lin-  
guæ

guæ

guae scientia instructum esse oportere, ut suis ipse oculis sibi de interpretationis veritate persuadere possit. Quod quidem, si modo magister arab. docendo ad Hebr. respiciens accedat, non adeo magni laboris est. Atque sane ne illi quidem, de cuius eruditione et in OO. Dialectis conferendis iustis principiis satis constat, semper sine vlla ratione credendum est, quoniam, vt in omnibus rebus exegeticis, ita in his quoque multa pendent a mera probabilitate, adeo, vt quae a viro eruditio probantur, a viro altero non minus docto vt improbabilia repudientur. Quare vt probabilitatis rationes animo perpendere possit, idonea Linguae Arabicae scientia instructus sit necesse est. Tantum igitur abest, vt nostra hac Exercitatione usum Linguae Arabicae damнемus, vt nihil melius ad eam alii. qui recte aliorum opera uti velint, commendandam dici posse arbitremur.



THE-

THESES  
E  
COMMENTATIONE IPSA  
EXCERPTAE,

- I. Ad Veteris Test. libros rite intelligendos interpretandos, que non solum Linguae Hebreae, sed etiam Linguarum affinium, praecipue Arabicae Linguae scientia requiritur.
- II. Falluntur, qui putant, omnes eiusdem organi literas inter se permutari.
- III. Prima vocis significatio cum ceteris significationibus secundariis non semper est coniungenda.
- IV. Res Critica in interpretando Veteri Test. 'minime' est negligenda.
- V. Generatim neque lectio τριῶν Kri neque τριῶν Cthib genuina iudicanda est.



EHT





Be 820.  
8



1017

M.C.



B.I.G.

Farbkarte #13



COMMENTATIO  
DE EO  
QVOD NIMIVM EST CIRCA STVDIVM  
LINGVAM HEBRAICAM EX ARABICA  
ILLVSTRANDI

15. m.

QVAM  
PRAESENTE

JOHANN E. GEORGIO  
TRENDELENBURG,

GR. ET OO. LL. P. P. O.

A. R. S. MDCCCLXXX. AD D. XXVI. M. SEPTEMB.  
IN AVDITORIO ATHENAEI GEDANENSIS MAXIMO

PVLICE DEFENDET

CAROLVS HEINRICVS ROESNER, S. L. C.

ADVERSVS OPPONENTES

GOTTFRIED ERNST GRODDECK, S. L. C.

JOHANN GOTTFRIED BARENTH, S. L. C.

NATHANAEL BERND EBERHARD, S. L. C.

REGIOMONTI,

TYPIS SAGR. REG. MAIEST. ET VNIVERS. TYPOGR. G. L. HARTVNGII.

